DISPUTATIO

DE

HUSSI VITA PRAESERTIMQUE ILLIUS CONDEMNATI CAUSIS.

DISPUTATIO

DE

HUSSI VITA PRAESERTIMQUE ILLIUS CONDEMNATI CAUSIS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,

PETRI JOANNIS UYLENBROEK,

MATH. MAG. PHIL. NAT. DOCT. ET PROF. ORD.,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS THEOLOGICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN THEOLOGIA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT

Dirk

DIDERICUS GERTRUDUS VAN DER HORST,

LUGDUNO-BATAVUS.

AD DIEM XXIV. JUNII MDCCCXXXVII, HORA 1—2

IN AUDITORIO MAJORI.

AMSTELODAMI,

APUD S. J. PRINS.

MDCCCXXXVII.

Typis G. VAN TYEN & FILL.

PARENTIBUS

OPTIMIS CARISSIMIS

SACRUM.

PRAEFATIO.

Disputationem Academicam in lucem editurus, non habeo multa, quae praemoneam. Mirabuntur fortasse nonnulli, me, quem exiguâ esse Disciplinarum Theologicarum peritiâ ipse sentio, summos in Theologiâ honores petere. At vero, cum lege sancitum sit, ut alicujus Athenaei alumni, qui studiorum cursum in tali Musarum sede absolvere velint, Disputatione editâ et publico Examini submissâ, Doctoris gradum consequantur; equidem, ut mecum prius constitueram, ita lex a me postulabat posterius. Rationes autem cur ita constituerem et studiorum cursum Amstelodami potius quam alibi conficere cuperem, hîc expromere non attinet.

Cum igîtur Disputatione conscribendâ et publice defendendâ legi mihi satisfaciendum foret, aptum, in quo vires periclitarer, argumentum sedulo circumspicere haud neglexi. Et Theologiae quidem, ut vocant, Dogmaticae studiis quamquam prae ceteris valde delectabar, varia tamen dissuaserunt, quominus arcesserem inde scribendi materiam. Placuit ergo, argumentum ex Historiâ Ecclesiasticâ sumere; cujus tractandae pragmatica maxime ratio quemadmodum nostrâ aetate jure commendatur, sic a primis studiorum initiis mihi in deliciis fuit. Arridebant imprimis tempora, quae emendata Saeculo XVI Sacra praepararunt. Haec autem quo diligentius perlustrabam,

bam, eo attentius oculos mentemque defigebam in JOANNEM HUSSUM, *virum sane eâ aetate in paucis excellentissimum. Itaque decrevi, in ejus fata et facta accuratius inquirere, ut ea scripto enarrarem, praesertimque cum causas, cur a Concilio Constantiensi damnatus fuerit, tum effectum, quem condemnatio ejus et alibi locorum, et imprimis in Bohemiâ habuerit, de industriâ exponerem. Periculo facto, vitâque viri qualicunque modo conscriptâ, jam agitata illa quaestio, de causis nimirum, cur* HUSSUS *condemnatus sit, tantum sibi operae et curae requisivit, tam multa indaganda et excutienda postulavit, ut mentem aliquatenus mutarem, argumentum Disputationis etiam contrahere coactus, ne haec terminos justos longe excederet. Quid multa? Missâ disquisitione de amplissimo condemnationis* HUSSI *effectu, in ejus fatis et factis enarrandis causisque illius condemnati recensendis subsistere constitui. Quod argumentum neque adeo meam superare tenuitatem visum est, nec tamen ab aliis ita elaboratum, ut juvenili etiam disquisitioni nihil enucleandum relinqueret. Quâ in re utrum non prorsus inepte versatus sim, an oleum et operam, quod ajunt, perdiderim, Lectores judicent: quos me aequos et benignos judices experturum fore, non est, quod dubitem.*

His praemonitis, committere non possum, quin occasionem arripiam, quâ gratum animum omnibus palam tester, qui mihi meisve studiis profuerint. Nec solvo has grates, quod sic fert consuetudo, sed intimo pectoris sensu impulsus. Studiorum meorum fautores Vos praecipue veneror, Viri Clarissimi! quibus ducibus, Literarum stadium emetiri mihi contigit. Plus quam dicere possim me debere sentio

cum

cum egregiae, quâ per aliquot annos usus sum, tuae institutioni, tum singulari benevolentiae, quâ semper mihi adfuistis. Beneficiorum, spero, immemorem me offendetis nunquam. Quid? quod omni tempore maximo me afficiet gaudio Viros celebratissimos VAN LENNEP, VOUTE, ROORDA, MULLER *et* DES AMORIE VAN DER HOEVEN *aestumatissimos meos laudare Praeceptores. — Imprimis Tuum nomen, Doctissime* VAN KAMPEN! *gratâ recolar usque memoriâ. Etenim non tantum Scholae tuae publicae mihi patuerunt, sed etiam in numerum admissionis interioris discipulorum me referre voluisti. Tu, non minus amicus quam praeceptor a me colendus, maxime privatâ tuâ institutione ingens Historiae inprimis Patriae diligentius indagandae mihi desiderium fecisti, Literarumque Neerlandicarum amorem magis magisque mihi instillasti, viam, quâ in iis tractandis procedendum sit, Tuo ipsius exemplo mihi monstrans. — Prae omnibus Tibi, Clarissime* ROOIJENS! *summae gratiae a me sunt persolvendae! Si quid enim in studiis Theologicis profecerim, aut aliquando, favente Deo, sim profecturus, id Tibi praesertim acceptum refero et referam semper. Tu jam eo tempore, quo in discipulorum Tuorum numerum nondum eram receptus, sed multo etiam magis postmodum, mihi meisque studiis summopere favisti. Tu non tantum Tuis lectionibus — quibus recordandis et repetendis adhuc maxime delector — ad gravissimum Antistitis Christiani munus digniter obeundum me informare conatus es; verum etiam privatis Tuis admonitionibus ac domesticâ consuetudine eo contendisti, ut variarum praeterea rerum notitiae, illique mihi augerentur animi sensûs, quibus futurum hominum Christianorum ducem penitus imbutum esse deceat. Si vero semper ha-*

habebam, cur de Tuâ erga me benevolentiâ laetarer, maxima certe illius specimina mihi dedisti, cum in hac conficiendâ Disputatione occupatus eram: quae si non plane improbanda est, Tuis etiam monitis id praecipue tribuendum est. Quantas pro his omnibus Tibi, Vir Doctissime! gratias debeam et habeam, verbis exprimere non possum. At scio, illud esse Tibi acceptissimum, si discipuli praecepta Tua et monita in usum suum strenue adhibent. Sedulo igitur et ego in hoc enitar, ut dignum Tui discipulum me semper praestem. In posterum quoque ut Tuâ hortatione prudentique Tuo consilio vehementer indigebo; ita quod te rogo, pro eâ, quâ in me es, animi propensione me haud frustra rogare novi. — Deus autem Optimus Maximus omnibus, quae expetenda sint, Te bonis mactet, Sancto suo Spiritu Tibi adsit perpetuo, cunctaque Tibi tribuat, ut porro sis, quem nunquam non Te probasti, Praeceptorem Studiosorum amantissimum ac ducem expertissimum; idemque Deus ita Te servet incolumem, ut diutissime Athenaei Illustris decus augere Coetûsque Amstelodamensis et Societatis Christianae commodis prospicere pergas.

Vos etiam, Viri Clarissimi! quibus Facultas Theologica Academiae Lugduno-Batavae constat, mihi, quaeso, concedite, gratiam Vobis referre pro humanitate et comitate, quâ erga me Vos ostendistis. Ita enim me, Scholae Amstelodamensis alumnum excepistis, ut propterea Vobis omnibus quam maxime me devinctum sentiam. Te nominatim adire, Clarissime VAN HENGEL! *gratus fert animus. A Te enim, cum Amstelodami versabare, primis imbutus sum Religionis Christianae notitiis; nec minus caritate tamquam paternâ me complexus es, postquam ex Athenaeo Amstelodamensi in Academiam Lugduno-Ba-*

Batavam, quae doctrinam tuam expetebat, eras praefectus: quin mihi studiisque meis omni modo consulere in hunc usque diem perrexisti. Tuorum igitur in me collatorum beneficiorum si umquam obliviscar, ad omnes utique meliores animi sensûs hebescam necesse est. — Tuam quoque erga me benevolentiam non commemorare non possum, Doctissime CLARISSE, *Promotor aestumatisme! qui petenti mihi Tua consilia et monita sic mecum communicare dignatus es, ut haec maxime mihi profuisse animo gratissimo profitear. Pro Tuâ et Collegarum Tuorum incolumitate pia nuncupare vota nunquam desinam.*

Fautoribus etiam atque amicis, qui admonitionibus suis, itemque libris ad hanc qualemcunque Disputationem componendam mihi suppeditandis, de me bene meriti sunt, gratias ago et habeo quam maximas. Quos inter fautores et amicos honori mihi duco Te nominare, plurimum Venerande BROES! *Cujus sapientiam, ingenium, jucundissimumque usum ad sensum tam Religionis quam pulchri venustique acuendum, maxime mihi profuisse, gratus fateor. Deum enixe precor, ut Te, rude honorificentissimâ donatum, ingravescente jam aetate, praesentissimo suo adjuvet auxilio, Teque, per multos adhuc annos, in multorum laetitiam atque utilitatem superstitem conservet et sospitem.*

Denique ad Vos accedo, Commilitones iidemque Athenaei, quod communis noster amor est, Alumni! Vos omnes, quorum amicitiâ plus minusve uti mihi licuit, Vos praesertim valere jubeo, Sodales! quibuscum arctiorem contraxi necessitudinem. Si serius ocius familiari Vestrûm consuetudine carendum mihi sit, solatium afferet, in omni rerum externarum vicissitu-

di-

dine mutationis expertem esse nostram familiaritatem. Neque enim Vos me obliturí estis, nec Vestrûm me capiet oblivio. Vivite felices, Amici! Estote mei memores! Per omnem vitae cursum exquisitissima Vobis contingant Dei Optimi Maximi beneficia.

CONSPECTUS.

Ca-

§. 8.

INTROITUS.

Antequam ad ipsum Disputationis nostrae argumentum, quod in vitâ JOANNIS HUSSI exponendâ, causisque, cur condemnatus sit, investigandis versabitur, tractandum accedimus, pauca de rebus Germaniae et Bohemiae politicis, de rei Pontificiae, nec non de Ecclesiae Bohemicae statu, aetate HUSSI temporibusque eam proxime antegressis, perstringenda videntur.

§. 1.

Status Rerum Germanicarum et Bohemicarum politicus.

Politicum Germaniae et Bohemiae statum adumbraturi, rem ordimur a CAROLO IV, qui anno jam 1346 in locum LUDOVICI IV, *Bavari* dicti, suffectus, et Imperii Romani insignibus ornatus, anno demum 1349 rèrum plane potitus est (1). Huic igitur, quanquam Germanis universe non valde profuit (2), tamen accepta referenda est *Bulla*, vulgo *aurea* appellata, quae Imperatoris co-

(1) Conf. quae de his explicatius habet J. C. PFISTER, *Geschichte der Teutschen nach den Quellen. Tom. III. pag.* 211 *sqq.*

(2) CAROLUS nempe, singulari in Bohemos studio affectus, his magis quam Germanis favit. Ejus autem aetate Germanorum auctoritas in Italiâ aliisque regionibus valde imminuta fuit. Conf. C. VON ROTTECK, *Allgem. Geschichte u. s. w. T. VI. p.* 83 *sq.* PFISTER, *o. l. T. III. p.* 250 *sqq.* 310 *sq.*

coöptationem septem Principibus Electoribus mandans, Germaniam a bellis intestinis, de successione suffragiorumque jure turbulenter antea saepe gestis, liberavit (1). Plura vero quam Germani ei debent Bohemi. Nam varios terrae tractûs, imperio suo subjectos, Bohemiae adjunxit; urbem Pragam moenibus cinxit; palatium, monasteria, templa aliaque instituta sacra ibi condidit; doctrinis item inter Bohemos promovendis favit; scholam, quae Artibus Liberalibus docendis inserviret, approbante Pontifice URBANO V, Pragae fundavit; denique *regnum*, ut AENEI SYLVII verbis utar (2), *tum religionis cultu, cum legum ac bonorum morum disciplinâ illustravit.*

Patri CAROLO anno 1378 successit WENCESLAUS, filius ejus natu maximus, quem jam anno 1376 Regem Romanum a Romano Pontifice creandum curaverat (3). Is igitur primum boni Principis sibi famam collegisse videtur (4); deinde vero lasciviâ et crudelitate (5) omnium

---

(1) De Bullâ aureâ conff. *Fasciculus Rerum Expetendarum ac Fugiendarum, p.* 54[b] *sqq.* VON ROTTECK, *o. l. T. VI. p.* 79 *sqq.* H. HALLAM ESQ, *Geschichtliche darstellung des Zustandes von Europa im Mittelalter, T. I. p.* 554 *sq. de editione Lipsiensi Germanicâ, quae prodüt A°.* 1820 *sq.* PFISTER, *o. l. T. III. p.* 255 *sqq.*

(2) *In historiâ Bohemicâ Cap.* 33, *Op. ed. Bas. p.* 101. *Vidd. et* J. G. A. GALLETTI, *Geschichte des Oesterreichischen Kaiserthumes, p.* 163 *sqq.* J. G. MAILATH, *Geschichte von Oestreich, T. I. p.* 418 *sqq.* PFISTER, *o. l. T. III. p.* 255 *sqq.* 273 *sqq.*

(3) AENEAS SYLVIUS, *l. l. Cap.* 33. *p.* 102; PFISTER, *o. l. T. III. p.* 301 *sqq.*

(4) PFISTER, *o. l. T. III. p.* 312, 330.

(5) AENEAS SYLVIUS, *l. l. Cap.* 34. *p.* 102, de eo dicit: *Fuit longe Patri absimilis, voluptatum sequax, ac labores refugiens, vini quam prorsus regni curiosior.*

nium odia incurrit. Quin per varios casûs res eo devenit tandem, ut WENCESLAUS, gravibus petitus accusationibus, anno 1400 republicâ administrandâ indignus declararetur, et RUPRECHTUS Palatinus in ejus locum Imperator sufficeretur (1).

Longe tamen abfuit, ut omnes statim RUPRECHTUM legitimum Germaniae Principem haberent; multis a WENCESLAO, cui fidem dederant, deficere nolentibus, aliis JODOCUM, Moraviae Principem, RUPRECHTO praeferentibus. Atque ille omnino Imperatoris nomine magis quam dignitate usus fuisse videtur; cujus legati ne quidem ad Concilium Pisanum admissi sunt (2).

Mortuo anno 1410 RUPRECHTO (3), WENCESLAUS eo contendit, ut amissum recuperaret imperium. Congregati autem ad novum Imperatorem creandum Electores tam parum inter se convenerunt, ut nonnulli JODOCUM, alii SIGISMUNDUM, alterum CAROLI filium, Hungariae Regem, eligerent. Tribus igitur fere simul onerata est Germania Imperatoribus, ut a tribus eodem tempore

Rec-

(1) Conff. J. LENFANT, *Histoire du Concile de Pise* (Amstelodami, 1724.) *T. I. p.* 108 *sq.;* IDEM, *Histoire du Concile de Basle etc.* (Amstelodami 1731), *T. I. p.* 46 *sqq.;* PFISTER *o. l. T. III. p.* 344 *sqq.;* FR. REHM, *Handbuch der Geschichte des Mittelalters, T. IV. Parte I. p.* 238 *sqq.*

(2) LENFANT, *Hist. du Conc. de Basle, T. I. p.* 49; HALLAM, *o. l. T. I. p.* 555; G. J. PLANCK, *Geschichte der Christlich-Kirchliche Gesellschafts-Verfassung. T. V. p.* 362. § 4.

(3) Heidelbergae in aede S. Spiritus sepultus et hoc ornatus est epitaphio: RUPRECHTUS, *Dux Bavariae, Comes Rheno-Palatinus, Romanorum Rex, justus pacis et religionis amator, dignus Deo visus, qui pro justitia pateretur, hujus sacrae aedis et collegii institutor, hic cum etc.* J. L. BERTI *Ecclesiasticae Historiae Breviarium p.* 168.

Rectoribus suffocabatur Ecclesia. JODOCO vero rebus humanis brevi post (8 Jan. 1411.) exemto, omnium consensu (1) Imperator creatus est SIGISMUNDUS (2).

WENCESLAUS autem, antequam a Germanis repudiaretur, tantopere Bohemis etiam displicuerat, ut aliquot nobiles Bohemici, SIGISMUNDO et JODOCO se adjungentes, eum jam anno 1394 captivum abducerent. Cui vero agendi rationi JOANNES, WENCESLAI ac SIGISMUNDI, et PROCOPIUS, JODOCI frater, nec minus Germaniae Ordines adeo se opposuerunt, illatum viro Principi dedecus aegre ferentes, ut certis sub conditionibus WENCESLAUS liberaretur (3). Qui tamen ad imperium reversus, eodem modo se gerere perrexit, ita ut non minus quam antea commune sibi odium conflaret, a SIGISMUNDO etiam in Austriam missus, carcerique adeo inclusus. SIGISMUNDUS autem si minus nomine, re certe auctoritatem regiam ab eo inde tempore in Bohemiâ sibi vindicabat. Militibus vero ejus Hungaris scelera quaevis patrantibus, Bohemi WENCESLAUM, post captivitatem novemdecim men-

---

(1) WENCESLAUS se assensurum esse ipse promiserat, dummodo titulus Regis Romani ei relinqueretur, quem eo usque ab eo gestum esse indicio est Bulla Pontificia de lite Germanos inter et Bohemos. Vid. LENFANT, *Hist. du Conc. de Basle. T. I. p.* 54.

(2) Multis partibus historia harum litium incerta est. Pro certo igitur et dici nequit, an JODOCUS revera Imperator creatus fuerit. Constat saltem, ejus electionem nunquam promulgatam esse publice. Conff. de eâ, praeter alios, LENFANT, *Hist. du Conc. de Pise. T. II. p.* 11; HALLAM, *o. l. T. I. p.* 556; PFISTER *o. l. T. III. p.* 362 *sqq.*

(3) Brevi post WENCESLAUS cum SIGISMUNDO foedus pepigit, secundum quod vel ille SIGISMUNDO in Hungariae imperio, vel SIGISMUNDUS ei in imperio Bohemiae succederet. PFISTER *o. l. T. III. p.* 337.

mensium redeuntem, maximo gaudio exceperunt. Ex quo ad mortem usque (a. 1419), sed tanquam sub tutelâ SIGISMUNDI, regnavit (1).

§. 2.

Status Rei Pontificiae.

Haec de Reipublicae statu. Ad Ecclesiam quod attinet; notum est, ab anno 1378 duos fuisse Pontifices, alterum Romae, alterum Avenione maxime sedem habentem; qui et se invicem perpetuo infestarent, et litibus suis ac discordiis Europae quietem turbarent. Post multos autem irritosque magni illius discidii tollendi conatûs (2), Cardinales Romani et Franco-Gallici cum variis Principibus de eo convenerunt, ut, Concilio coacto, finis discidio imponeretur. Quo Concilio, Pisis anno 1409 habito, Pontifices, qui eo tempore Ecclesiae praeerant, BENEDICTUS XIII et GREGORIUS XII, loco dejiciuntur (3); pro quibus novus, scilicet ALEXANDER V, sub-

(1) De his rebus inter se comparentur LENFANT, *Hist. du Conc. de Basle. T. I. p.* 46, 49 *sq.;* GALLETTI, *l. l. p.* 176 *sqq;* MAILATH, *o. l. T. I. p.* 421; PFISTER, *o. l. T. III. p.* 334 *sqq.*, 349 *sqq.*

(2) Conf. de his conatibus PLANCK, *o. l. Tom. V. p.* 325 *sqq.*

(3) Sessione 10 nempe legebantur articuli contra PETRUM DE LUNA (BENEDICTUM XIII) et ANGELUM CORARIO (GREGORIUM XII), de dignitate Pontificiâ inter se contendentes. Sessione 15 sententia in eos pronuntiabatur. Vidd. MANSI, *Sacrorum Conciliorum nova et amplissima collectio etc. T. XXVII. p.* 402 *sqq.* LENFANT, *Hist. du Conc. de Pise, T. I. p.* 273 *sqq.*, 277 *sqq. Conf.* J. C. L. GIESELER, *Lehrbuch der Kirchengeschichte, T. II. P. 4. p. 3. lit. d.*

substituitur (1). At cum BENEDICTUS et GREGORIUS Concilii auctoritatem agnoscere recusarent, Ecclesia huc redacta est, ut de se testaretur: *bivira fueram; et triviram me fecerunt* (2). Quanquam enim major ejus pars ALEXANDRO obedientiam praestabat, nonnullae tamen regiones, ut Scotia et Hispania, BENEDICTUM; RUPRECHTUS, LADISLAUS aliique viri Principes GREGORIUM sequi pergebant. Alendo autem discidio inservierunt lites, in civitatibus exortae, et magno animorum aestu agitatae. Nec magis e voto successit altera res, cujus causâ Concilium Pisas convenerat, nempe, ut *Ecclesia in Capite et Membris*, ut loquebantur, *instauraretur*. Nam ALEXANDER V talem instaurationem, si efficeretur, concussae jam auctoritati Pontificiae interitum minari praevidens, professus quidem est, *se velle vacare circa Reformationem Ecclesiae, prout fuerat per Cardinales promissum ante ejus promotionem* (3); sed Patres simul eo perduxit, ut alterum indicerent Concilium, triennio post habendum (4), ad quod omne Sacrorum emendandorum negotium deferretur (5). Atque ita

(1) Vid. MANSI, *o. l. T. XXVII. p.* 503 *sq.*

(2) Verba sunt, a THEODORICO DE VRIE in ejus *Historiâ Conc. Constant.* Ecclesiae tributa et reperiunda apud VON DER HARDT, *Magnum Oecumenicum Constantiense Concilium* etc. *T. I. P. p.* 148.

(3) HARDUINUS, in *Collectione Conciliorum, T. VIII. p.* 19; LENFANT, *Hist. du Conc. de Pise. T. I. pag.* 290. Memoratu dignus est sermo, quo GERSON Pontificem instigare tentavit, ut promissam Sacrorum emendationem efficeret. Vid. GERSONIS *Opera* (ed. du Pin) *Tom. II. P. I. p.* 131. MANSI, *o. l. T. XXVII. p.* 413 *sqq.* Conf. LENFANT, *o. l. T. I. p.* 288.

(4) HARDUINUS, *o. l. T. VIII. p.* 22; LENFANT, *o. l. T. I. p.* 299; GIESELER, *o. l. T. II. Parte* 4. *p.* 6. *lit. h.*

(5) HARDUINUS, *o. l. T. VIII. p.* 24. LENFANT, *o. l.*

ita Concilium Pisanum omni fere effectu caruit (1). Alexandro autem anno 1410, decem mensibus post sedem Pontificiam occupatam, mortuo (2), Cardinales congregati, in ejus locum, BALTHASAREM COSSA elegerunt, qui sibi sumsit nomen JOANNIS XXIII (3). Hic autem, ut varia cum ALEXANDRI V, tum Concilii Pisani decreta, adversus GREGORIUM et BENEDICTUM facta, confirmavit (4); ita a plerisque impetravit Europae Principibus, ut Pontifex agnosceretur, LADISLAUM quoque, Siciliae Regem, qui GREGORII partibus favebat, pecuniae vi fautorem sibi nactus (5). At novâ discordiâ ortâ, LADISLAUS adeo pressit Pontificem, ut SIGISMUNDI auxilium implorare coge-

---

T. I. p. 300. GIESELER, *l. c.* Conf. et PLANCK, *o. l. T. V. p.* 368 *sqq.*

(1) LENFANT, *o. l. T. I. p.* 301. GIESELER, *l. c. p.* 7. *lit. i.*

(2) Mortuus dicitur sumto veneno, quod ei successor parasset. Vidd. VON DER HARDT, *T. IV. p.* 197, in articulis contra Papam JOANNEM XXIII; GIESELER, *l. c. p.* 9. *lit. k.* De ALEXANDRI factis et morte universe cf. LENFANT, *o. l. T. I. libr.* 3. passim.

(3) De modo, quo ad sedem Apostolicam pervenerit, conf. THEODORICUS DE NIEM, *Litterarum Apostolicarum Abreviator, de vitâ, facinoribus ac fatis Balthasaris etc.*, apud VON DER HARDT, *o. l. T. II. P. XV. p.* 335 *sqq.* Vidd. porro de eo LENFANT, *o. l. T. II. p.* 5, VON DER HARDT, *o. l. T. I. p.* 256, 260, 954.

(4) LENFANT, *o. l. T. II. p.* 7.

(5) VON DER HARDT, *o. l. T. II. p.* 367 *sqq.* — JOANNES jam antea infelix cum LADISLAO bellum gesserat (VON DER HARDT, *o. l. T. II. p.* 363 *sqq.*); frustra item expeditionem cruciatam contra eum instituere conatus erat. Cf. RAYNALDI *Annales Ecclesiastici ad annum* 1411. N°. 5, *ad annum* 1412. N°. 2. Videantur Bullae, a JOANNE de hac re editae, in libro, cui titulus:

geretur. Pontifex autem opem expetitam hac tantum positâ conditione impetrare potest, si Concilium generale convocetur. SIGISMUNDO igitur rem urgente, ejusmodi Concilium Constantiae habitum iri decernitur (1): quod JOANNES, Bullâ editâ, ad diem 1 Novembris anni 1414 indicit (2), et 5 die ejusdem mensis solemniter aperit. Adsunt, post Imperatorem et Pontificem, magnâ copiâ Principes, eorumve Legati, omnis dignitatis Episcopi, Abbates, Theologiae Doctores, ingens denique Sacerdotum Clericorumque ordinis inferioris multitudo. Congregati autem erant triplici potissimum de causâ, nempe, ut Ecclesiam sub unum Caput reducerent; eam in Capite et Membris instaurarent; denique haeresibus repurgarent. Quatenus huic consilio satisfactum sit, hîc re-

---

JOANNIS HUS et HIERONYMI PRAGENSIS — *Historia et Monumenta* (Noribergae, a. 1558 — quorum altera indicibus aucta prodiit editio a. 1715. Editione priore usus sum, cujus paginae et in alterius editionis margine sunt annotatae) *T. I. p.* 171ª 172ᵇ. Conf. J. M. SCHROECKH, *Christliche Kirchengeschichte. T. XXXIV. p.* 594 *sq.*

(1) JOANNES clam prohibere studuerat, ne Concilium in aliquâ Germaniae urbe haberetur; praevalebat vero SIGISMUNDI auctoritas. Vidd. LEONARDUS ARETINUS, *Litterarum Apostolicarum Abbreviator*, in *Commentario rerum suo tempore gestarum* in MURATORII *Script. rerum Ital. T. XIX. p.* 928. LENFANT, *Histoire du Concile de Constance.* (Amstelodami 1727.) *T. I. p.* 6 *sqq.* PLANCK, *o. l. T. V. p.* 374 *sqq.*

(2) Vid. haec Bulla apud RAYNALDUM, *o. l. ad a.* 1413. N°. 22. et VON DER HARDT, *o. l. T. VI. Parte I. p.* 9 *sq.* Item SIGISMUNDUS edicto omnibus, qui Concilium frequentarent, securitatem promiserat. Praeterea GREGORIUM XII, scriptâ epistolâ, ad Concilium, securitate item datâ, invitaverat. Denique CAROLUM, Franco-Galliae Regem, litteris admonuerat, ut Concilii frequentandi causâ legatos mitteret. Vid. VON DER HARDT, *o. l. Tom. et Parte laud. pag.* 5—7.

referre non attinet (1). Nec de Concilii auctoritate etiam disputandum (2). Sed silentio prorsus praetereundum non est, quae in eo de suffragiorum jure, eorumque ferendorum modo constituta sunt. Volebant nempe Pontifex ejusque asseclae, ut Episcopis tantum et Abbatibus suffragiorum jus concederetur. Quibus Cardinalis Cameracensis, PETRUS DE ALLIACO, Cardinalis St. Marci, GUIL. PHILASTERIUS, aliique acriter se opponebant; et eo quidem eventu, ut Reges etiam, Principes eorumque Legati, Doctores, Sacerdotes et Diaconi suffragia tenerent (3). Deinde quaestio mota est, utrum sententias ferrent populi, quorum quatuor aderant, scilicet Angli, Germani, Franco-Galli et Itali (4); an vero singuli quique praesentes. De quâ re variis disceptationibus habitis, hoc improbatum, illud probatum est (5). His igitur aliisque decretis (6) factum, ut Concilii auctoritas insigniter augeretur, Pontifici vero multum potentiae et gloriae decederet.

§. 3.

---

(1) Conff. JO TRITHEMII *Chronicon Sponheimense ad annum* 1414. in ejus *Opp. Hist. P.* 2. *p.* 344. LENFANT, *o. l. T. I. Praef. edit. prim. p. XXII sqq.* PLANCK, *o. l. T. V. p.* 412 *sqq.*

(2) Legantur de hac auctoritate cum alii, tum imprimis VON DER HARDT, *o. l. T. VI.*

(3) VON DER HARDT, *o. l. T. II. P. VIII. p.* 224 *sqq.* GIESELER, *l. l. p.* 23 *sqq.*

(4) His quatuor comprehendi consueverant ordinis inferioris populi.

(5) VON DER HARDT, *l. l. p.* 230. Conff. LENFANT, Praef. laud. *p.* XXIV. GIESELER, *l. l. p.* 22. *not.* H. E. F. GUERIKE, *Handbuch der Allgem. Kirchengeschichte* (Halis 1833) *p.* 501.

(6) Sic e. c. contra sententiam JOANNIS XXIII decreverant Patres Constantienses, se ad unitatem Ecclesiae instaurandam convenisse.

§. 3.

Status Ecclesiae Bohemicae.

Sed videndum etiam, quâ conditione Ecclesia Bohemica illis et proxime antegressis temporibus fuerit. Quemadmodum igitur in variis Europae regionibus jam diu viri sapientiores et meliores serpentem et ingravescentem questi erant errorum et vitiorum contagionem, cui fortiter resistendum esse judicabant (1); sic in Bohemiâ etiam Ecclesiae instaurandae studium multorum ingenia occupaverat. Et laetius quidem his in terris quam alibi ut purioris doctrinae semen succrescebat, ita vigebat vitae honestioris desiderium, quoniam incolae ejus minus quam extranei Pontificum Romanorum servierant voluntati et legibus, ibique Saeculo XII sedem fixerant Valdensium nonnulli, aliunde expulsi.

Inter viros autem, qui in Bohemiâ vitiis Ecclesiae se opponebant, excelluerunt CONRADUS STYCKNA, JOANNES MILICZIUS et MATTHIAS DE JANOW; de quibus, tanquam HUSSI praecursoribus, breviter dicendum est.

CONRADUS STYCKNA, ab Austriâ oriundus, qui Antistitis munere Theynae prope Pragam fungebatur, eloquentissimis annumeratus est aetatis suae Oratoribus sacris. In depravatos populi mores et collapsam disciplinam Ecclesiasticam vehementer invehebatur. Cognoscitur quo-

(1) De iis, qui, aetatis suae erroribus et vitiis se opponentes, Sacrorum emendationem praepararunt, universe conf. L. FLATHE, *Geschichte der Vorlaufer der Reformation*: quod opus anno praeterito, duobus Tomis, Lipsiae prodiit.

quodammodo e testimonio aequalis sui BENESSII DE WEITMIL (1), qui narrat (2), *eum, inter maximos aetatis suae concionatores habitum, zelo divino accensum, usurarios potissimum et injustos possessores, item luxum vestium et Simoniacam pravitatem exagitasse; ob eam causam a Religiosis quibusdam gravia passum, aequo animo tulisse omnia, eo quod esset vir perfectae caritatis.* Nec segniter eum Clericos reprehendisse, luculenter apparet ex Epistolâ ANDREAE DE BRODA, ad JOANNEM HUSSUM scriptâ (3), in quâ, inter alia, haec: *et antiquis temporibus* MILITIUS, CONRADUS DE STYCKNA *et alii quam plurimi contra Clericos praedicaverunt* etc. Ceterum de rebus ejus alia vix cognita sunt, quam eum anno 1369 mortuum esse (4).

Sequitur JOANNES MILICZIUS, qui eodem, quo CONRADUS floruit, tempore *Archidiaconus* factus, anno 1362 munere se abdicavit, ut tenuiora *Sacristici* officia obiret. Hic igitur, populum Christianum de vitâ melius instituendâ omni virium intentione admonens, pessimos quoque Clericorum mores vehementer increpare haud desinebat. Et *quamvis*, ut refert BALBINUS (5), *in princi-*

---

(1) Ipsa CONRADI scripta forsitan alicubi adhuc latent. Magnum saltem ejus opus se vidisse narrat BOHUSLAUS BALBINUS, *in Epitome Hist. rerum Bohemicarum* (Pragae, 1677. f. m.) *Libr. IV. p.* 406 *sq.*

(2) Apud BALBINUM, *l. c.*

(3) In J. COCHLAEI *Hist. Hussitarum* (Moguntiae 1549) *Lib. I. p.* 42.

(4) Conff. de eo PAULI STRANSKY *Respublica Bojema* (Lugd. Bat. a. 1643.) *Cap. VI. p.* 307. LENFANT, *Hist. du Conc. de Basle, T. I. p.* 14. SCHRÖCKH, *o. l. T. XXXIV. p.* 566. *Abrégé de l'Histoire des Eglises Esclavonnes et Vaudoises, T. V. p.* 172.

(5) In BALBINI *Miscellaneis Historicis regni Bohemi, Decadis I. Lib. IV. Tit.* 34. *p.* 45.

cipio suae praedicationis paucum populum habere videretur, et licet etiam ab aliquibus propter incongruentiam vulgaris sermonis derideretur, tamen a proposito non destitit, *et sic*, ita idem pergit, *per ejus assiduam praedicationem et austeritatem correctionum, primum aperiebantur aures surdorum, — et post coepit populus affluere, et admirabantur turbae, laudantes nomen Domini* etc. Hinc factum est, ut saepe bis, quin ter, eodem die concionem haberet, tam linguâ vernaculâ, quam, in aliorum gratiam, Germanicâ. Aliquot annis post, Romam petiit; ubi, ne pro concione diceret, in carcerem conjectus est, inde tamen ab URBANO, anno 1367 Avenione Romam profecto, liberatus. Pragam reversus, monitis et exemplo multa ad instaurandam Ecclesiam effecit. Quin eo valebat ejus ardor, *ut etiam publicae meretrices de prostibulis per ejus praedicationem ad poenitentiam converterentur* (1). Insigni vero, quo ille utebatur, populi favore adeo concitatus est adversariorum furor, ut saepe eum impedirent, quominus pro concione diceret, haereticum eum vocarent, et duodecim, qui hoc probarent, articulos adversus eum conflatos, ad Curiam Romanam mitterent (2). Quibus cognitis, GREGORIUS XI, Pontifex Romanus, duas anno 1374 scripsit epistolas, quarum altera Archi-Episcopo Pragensi rem sedulo inquirere mandabat, altera CAROLI IV, ne damnum caperet Ecclesia, auxilium implorabat (3). MILICZIUS porro ad Pontificem appella-

---

(1) Ita BALBINUS, *l. l. p.* 55.

(2) Conf. BALBINUS, *l. l. p.* 59.

(3) Exstat utraque Epistola apud RAYNALDUM, *l. l. ad annum* 1374. N°. 10, 11. Vidd. et LENFANT, *Hist. du Conc. de Basle, T. I. p.* 16. ac FLATHE *o. l. T. II. p.* 271.

lavit, Romam quoque iterum profectus; unde, narrante BALBINO (1), salvus sospesque rediit, intercessore, ut videtur, CAROLO IV (2). Eum autem ante mortem, quâ eodem anno 1374 opprimebatur, omni accusatione fuisse liberatum, satis inde apparet, quod a CAROLO IV, Principe in paucis Catholico, dictus est: *bonae memoriae honorabilis, quondam devotus noster dilectus* (3).

Tertius est MATTHIAS DE JANOW, Magister Parisiensis vulgo appellatus (4). Vir erat eodem, quo CONRADUS et JOANNES, ardore incensus; utrumque vero eruditione superabat (5). Igitur ille quoque Ecclesiae et aetatis suae

(1) *Epit. laud. p.* 407. Conf. etiam LENFANT, *l. l. p.* 17.

(2) CAROLUM MILICZIO favisse putat quoque PFISTER, *o. l. T. III. p.* 244. *not.* 2.

(3) BALBINI *Epit. laud. p.* 408. Conff. STRANSKY, *l. l.* LENFANT, *l. l. p.* 14 *sqq.* SCHROECKH, *o. l. Tom. XXXIV. p.* 568 *sqq. Abrégé de l'Hist. etc. T. V. p.* 173 *sqq.* GIESELER, *o. l. T. II. P.* 3. *p.* 285, et auctores ab his allati. MILICZII Scripta, si etiamnunc supersunt, juris publici non facta sunt. Cf. BALBINI *Epit. laud. p.* 406.

(4) Quanquam Pragae natus, *Parisiensis* dictus est, quoniam Parisiis operam studiis dederat. Conf. LUPACII *Calendarium Hist. ad diem* 30 *Nov. anni* 1394.

(5) Eruditionis suae varia MATTHIAS in scriptis edidit specimina. BALBINUS, *in Bohemiâ doctâ, ed. ab Raph. Ungar., Parte II.* (Pragae 1778.) *p.* 178. ad MATTHIAE scripta sequentia refert: *De frequenti communione; Hypocrisi; Unitate Ecclesiae; Antichristo et praeceptis Domini; de abominatione in Ecclesia Dei; Regulas Veteris et Novi Testamenti.* COCHLAEUS, *o. l. Lib. VI. p.* 227. praeterea excitat locum e *Magistri Parisiensis vitiorum* libro. Porro ad MATTHIAE scripta pertinet liber *de Sacerdotum et Monachorum abhorrendâ abominatione desolationis in Ecclesiâ Christi,* reperiundus in HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 376ª *sqq.* Male autem SCHROECKH, *o. l. T. XXXIV. p.* 572 *sqq.*, a THEOBALDO, (*Hussitenkrieg* — Nürn-

suae vitia graviter reprehendebat; vitae vere Christianae necessitatem urgebat; pro vanâ rituum observatione religionem illustri hoc nomine dignam inducere tentabat; Calicis denique usum in Coenâ sacrâ agendâ Laicis negatum forsitan etiam aegre tulit. Probabile autem est, Synodum Pragensem, anno 1389 habitam, intercessisse, quominus Ecclesiae emendandae inceptum persequeretur. (1). Mortuus est anno 1394.

Jam autem tres illos quis HUSSI praecursores vocare nolit? Certe, quae de iis perstrinximus, satis evincunt, Bohemiam ante HUSSI aetatem jam egregios habuisse viros, qui viam pararint, quâ deinceps ille procedens, Ecclesiam instauraret.

His igitur, Introitûs loco, praemonitis, rem ipsam nobis agendam aggredimur. Cujus tractatio *duas* in *partes* sponte distribuitur. *Altera* igitur pars de JOANNIS HUSSI vitâ exponet; *altera* causas, cur condemnatus sit, perscrutabitur.

PARS

---

berg 1621. 4°. — *T. I. C. 2.*) in errorem deductus, eo etiam retulit Librum *de Antichristo et membrorum ejus Anatomiâ*, item in HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 336b *sqq.* extantem. Videantur quae de his aliisque, ad MATTHIAE scripta spectantibus, obsevarunt GIESELER, *l. l. p.* 285. *litt. g.*, et PLATHE, *o. l. T. II. p.* 272 *sqq.*

(1) Cf. VON DER HARDT, *o. l. T. III. Prolegg. p.* 20 *sq.* — STYCKNAM quoque et MILICZIUM eo contendisse, ut Calicis usum Laicis redintegrarent, testimoniis fide dignis non confirmatur. Vid. GIESELER, *l. l. p.* 290 *sqq.*

PARS PRIOR.

DE JOANNIS HUSSI VITA.

§. 1.

Hussi natales, institutio, et munera, quibus functus est.

Sexto Julii anni 1373, in Bohemiae pago Hussinecz, prope oppidulum Prachaticzen versus meridiem sito (1), natus est JOANNES, HUSSI cognomine vulgo appellatus (2), ex

(1) WILH. SEYFRIED, *Diss. de Joh. Hussi Martyris vitâ* etc. Jenae 1729. *p.* 9. LENFANT, *Hist. du Concile de Constance. T. I. p.* 23.

(2) Monet K. LEHMAN in scriptione, quae nuperrime prodiit, et cui titulus: *Gerichtliche Anklage und Vertheidigung des* M. JOHANNES HUS *in Prag.* etc., (reperiundâ in *Theol. Studiën und Kritiken a.* 1837. fascic. I. p. 125 sqq.), pag. 126, non scribendum esse HUSS, sed HUS. Cui si assentiendum sit, nemo tamen vitio mihi verterit, me in hoc cognomine Latine exprimendo, et etiam declinando, morem receptum sequi, itemque, de eodem more, nominis JOANNIS loco, cognomen HUSSI vulgo adhibere. Vox autem Bohemica HUS (HUSS), quae slavonice exprimitur GUS (GUSS), significat *anserem.* Conf. JOACHIMI CAMERARII *Pabepergensis Historica Narratio de Fratrum Or-*

ex parentibus honestis, sed qui re tenui utebantur (1). Educationi ejus domesticae successit institutio, in vicino coenobio a Monachis ei data. Haec tamen doctrinae acquirendae cupiditatem, quâ HUSSUS ferebatur, inflammasse magis quam explevisse videtur. Patre mortuo, deerat matri, unde filii studiis succurreret. Quibus in angustiis Dominus NICOLAUS DE ET IN HUSSINECZ, perspecto haud vulgari adolescentis ingenio, aditum ei primum ad scholam, quae Prachaticzi erat, deinde ad Pragensem, liberaliter paravit (2). Sic autem utrâque in scholâ versatus est HUSSUS, ut commilitones pariter atque Praeceptores maximi eum facerent. (3) Praesertim in Pragensi tantos fecit studiorum progressûs, ut eximiis ingenii (4) et indefessi laboris speciminibus exhi-

---

thodoxorum Ecclesiis etc. (Heidelbergae) *p.* 152; item KASPAR ROYKO's *Gesch. der grossen allgem. Kirchenversammlung zu Kostniz*, *Tom. II. p.* 61 *not.* Ed. 2ae. Utrum autem hoc cognomen nostro JOANNI de loco natali tributum sit, an in honorem fautoris sui Domini NICOLAI DE ET IN HUSSINECZ illud sibi ipse sumserit, non dirimimus. Eum autem ita dictum esse, ac si a patre incerto ortum duxerit, nonnulli (v. c. Auctor anonymus scripti: *hist. du Wicléfianisme ou de la doctrine de* WICLEF, JEAN HUS *et* JEROME DE PRAGUE etc. Suivant la Copie imprimée a Lyon, chez Jean Certe 1696 *p.* 65) sine causâ statuunt.

(1) *Obscuro loco natum* eum dicit AENEAS SYLVIUS, *l. l. C.* 35. *p.* 103. Vid. et JOHANN HUSSENS *Leben*, Lipsiae 1798. (vernacule scriptionem reddidit G. H. REICHE), *p.* 3 *sq.*

(2) Schola Pragensis eo tempore plurimas ejusmodi Scholas studiosorum copiâ superabat: de quo et infra videbimus.

(3) HUSSENS *Leben*, *l. l. p.* 5 *sqq.*

(4) *Humili quidem loco, non spiritu, natus erat*, dicit JACOB. PICCOLOM. Cardin. pap., enarrante LENFANT, *Hist. du Conc. de Const. Tom. I. p.* 24. *not.*

hibitis, anno 1393 *Baccalaureus in Artibus*, anno 1394 *Baccalaureus in Theologiâ*, anno 1396 *Magister Artium*, denique anno 1398 *Theologiae Doctor in Scholâ Pragensi*, renuntiaretur (1).

Mirum autem aliquod studium, quod hic commemorare libet, in HUSSO adolescente cernebatur. Scilicet, eâ jam aetate, perinde ac si futuram suam sortem praesagiret, per institutionem, quam a matre monachisque acceperat, eo erat delatus, ut in Martyrum fatis investigandis sibi haud mediocriter placeret. Quorum constantiam non modo summopere admirabatur, sed etiam ad imitandum sibi proponebat. Sic eum, in Scholâ Pragensi versantem, lectâ sancti LAURENTII historiâ (2), cepisse traditur periculi faciendi cupiditas, an similia perpeti posset. Hoc igitur consilio digitum in ignem immisisse fertur, flammaeque dolores sustinuisse, donec sodalis aliquis rei finem faceret (3). Hinc minime quidem

---

(1) HUSSI *Hist. et Monum.*, sub Catalogo scriptorum Tomi I. Conf. et PELZEL, *Lebensgeschichte des Röm. und Böhm. Königs* WENCESLAUS, (Pragae et Lipsiae 1788—1790) *T. II. p.* 480.

(2) LAURENTIUS ille, imperante VALERIANO (253–260), lento igne in crate combustus, acerbissimos mortis crudelissimae dolores non modo summâ constantiâ, sed mirâ etiam alacritate tulisse narratur. Conf. PRUDENTIUS *περὶ στεφάνων*, Hymno II.

(3) W. GILPIN, *Biographie, oder Lebensbeschreibung der bekanntesten Reformatoren vor* LUTHERO *u. s. w. p.* 155 *sq.* HUSSENS *Leben, l. l. p.* 20 *sqq.* Similia alii quoque de HUSSO memoriae prodiderunt. Ita GREGORIUS NIGRINUS, referente SEYFRIDO, *l. l. p.* 17. narrat: HUSSUM *carbones vivos e foco arripuisse, cutique suae applicuisse, ac periculum facere voluisse, an simile Martyrium perferre posset; statim vero, propter dolores, eos abjecisse, carnisque infirmitatem multis deplorasse lacrymis.*

dem sequitur, HUSSUM jam mature impetu fanatico actum fuisse; sed produnt talia sine dubio indolis austerioris adolescentem, pro Christi causâ jam teneris annis dura omnia, si fata ferrent, subire paratum. Qualem et postea HUSSUM se ostendisse, infra videbimus. Ceterum de maximâ, quâ erat, morum integritate aequales ejus ita conveniebant, ut AENEAS SYLVIUS (1), parum certe in HUSSUM propensus, ipse profiteretur, eum *mundioris vitae opinione clarum* fuisse (2). Quantis praeterea mentis animique dotibus praeditus fuerit, intelligimus ex testimonio, a Scholae Pragensis Rectore, anno propemodum post HUSSI necem (23 Maji 1416), edito; quod praeter alia etiam haec continet: *Intellectus ejus Magistralis perspicue nobis exstitit mirabilis, ut intelligendo velocior, in scribendo paratior, in respondendo cunctis aliis sublimior in praedicandoque caeteris ferventior et melior appareret* (3). Nominatim eximiam ejus pro concione dicendi facultatem testatur et illud, quod non inficete de eo prolatum fuit: *Quilibet initium concionis, nullus finem exspectabat.* Quae tamen facultas non a singulari, quâ polleret, eloquentiâ, sed multo potius a totâ viri acutissimi et gravissimi indole erat repetenda. (4). Eo autem valebant cum insignis HUSSI doctrina tum reliquae ejus virtutes et dotes, ut anno 1402 munus Oratoris Sacri in Sacrario Pragensi, *Capel-*

---

(1) *l. l.*

(2) De moribus et egregiâ HUSSI indole vide etiam quae habet Jesuita BOHUSLAUS BALBINUS, *Ep. laud. Lib. IV. C. 5. p.* 431.

(3) Vid. SEYFRIED, *l. l. p.* 116 *sqq.*

(4) Idem notat etiam BALBINUS, *l. l.*

pellae Bethlehemiticae nomine dicto, ei deferretur (1), et brevi post SOPHIA, WENCESLAI uxor, Patrem Confessionarium, quem appellant, sibi eum eligeret. (2).

§. 2.

Insequentia Hussi fata, ad tempus, quo a Concilio Constantiensi citaretur.

Quemadmodum HUSSUS jam antea virum se probaverat, depravatos aetatis suae mores minime ferentem; sic imprimis, postquam ad Oratoris Sacri munus vocatus erat, populi Procerumque Bohemiae vitia increpare incipiebat (3). Doctrinae tamen Ecclesiae Romanae tenaciter adhaerebat (4), ita ut valde reprehenderet ju-ve-

(1) Condidit illud Sacrarium, areâ datâ a quodam mercatore Pragensi, CRUCIS nomine dicto, JOANNES DE MÜLHEIM, ut ibi populo orationes sacras vernaculo sermone audiendi facultas foret. Vid. documentum eo pertinens apud PELZEL, *Urkundenbuch zür Lebensgesch. des Röm. und Böhm. Königs* WENCESLAUS, *T. I. p.* 10 *sqq.* N°. 83. Conf. porro de hac re THEOBALD, *l. l. p.* 27 *sq.* SEYFRIED, *l. l. p.* 20. LENFANT, *Hist. du Concile de Pise, T. II. p.* 79 *sq.* PELZEL, *Lebensgesch. u. s. w. T. I. p.* 243. Idem, *Urkundenbuch, T. II. p.* 95. N°. 189, ubi documentum reperitur, quo Capellae Bethlehemiticae Concionator nuncupatur HUSSUS.

(2) PELZEL, *Lebensgesch. u. s. w. T. II. p.* 480. HUSSENS *Leben*, *l. l. p.* 35.

(3) SEYFRIED, *l. l. p.* 20 *sq.* PELZEL, *Lebensgesch. u. s. w. T. II. p.* 481. SCHROECKH, *o. l. T. XXXIV. p.* 577 *sq.* HUSSENS *Leben*, *l. l. p.* 38.

(4) SCHROECKH, *l. l.* HUSSENS *Leben*, *l. l.*

venem aliquem studiosum (1), qui Oxoniâ, ubi se Litteris dederat, aliquod WICLEFI scriptum in Bohemiam secum attulisset. Quem igitur et admonuisset, *ut librum illum aut combureret, aut in praeterfluentem (Multaviam) abjiceret, ne in ullius hominis, maxime autem novarum rerum avidi studiosique, manûs perveniret* (2). Accidisse illud videtur anno 1402 (3). Sed WICLEFI scripta, quorum pars jam antea in Bohemiâ cognita fuisse videtur (4), nunc magis magisque divulgabantur et legebantur (5). Id autem Scholae Pragensis doctoribus, praesertim Germanis, adeo displicebat, ut in conventu, anno — quod verisimile est — 1403 habito, 45 articuli, e WICLEFI scriptis excerpti, condemnarentur (6). Quam sententiam paulo post confirmavit Theologorum coe-

---

(1) Plurimi Historici, tam antiquiores quam recentiores; ut AENEAS SYLVIUS, *l. l. p.* 102 *sq.* HAGECUS', *in libro: Böhmische Kronick*, et qui utrumque secuti sunt, SEYFRIED, *l. l. p.* 21 *sq.* LENFANT, *Hist. du Conc. de Basle, T. II. p.* 531, alii, juvenem illum fuisse putant HIERONYMUM PRAGENSEM, deinde HUSSI familiarem factum. Aliter vero THEOBALD, *l. l. p.* 5. dicens: *Gemelter Student, welchen* HAGECUS *unrecht* M. HIERONYMUM, *der niemals in Engeland gewesen, nennet u. s. w.* Sed nulla hic, cur ita sentiat, argumenta affert. Si igitur optio facienda, multo potius HAGECO et AENEAE SYLVIO assentimur, quippe qui ad tempora, de quibus dicunt, vivendo multo propius accesserunt.

(2) THEOBALD, *l. l. p.* 2, nempe interpretationis Latinae, quae prodiit Francofurti a. 1621. Hoc loco eam in auxilium vocavi, ne linguâ Germanicâ in textu praeter necessitatem uterer.

(3) PELZEL, *l. l.*

(4) PELZEL, *ibidem.*

(5) PELZEL, *ibidem.*

(6) Hanc condemnationem ad a 1403 referunt THEOBALD, *l. l. p.* 7. SCHROECKH, *o. l. T. XXXIV. p.* 578, alii. Male PELZEL, *l. l. p.* 532 *sq.*, coll. *Urkundenbuch, T. II. p.* 124 *sq. N°.* 216, eam anno 1408. assignat.

coetus, a SBINCONE, Archi-Episcopo Pragensi, WENCESLAO monente, coactus (1). Eo autem tempore HUSSUS scripta WICLEFI nondum commendabat. Alioqnin enim variarum hujus sententiarum condemnatione ipsa quoque illius condemnatio comprehensa fuisset. Quid? quod HUSSUS adhuc in WICLEFUM parum propensus fuisse videtur. Sed anno sequenti Pragam venerunt duo studiosi Angli, qui multis modis popularis sui placita propagabant, et HUSSO meliorem de iis opinionem instillabant (2). Ex quo hic WICLEFI scripta accuratius perscrutari coepit, ita ut, majore cum illis contractâ familiaritate, suam de auctore sententiam sensim mutaret (3), vehementerque doleret, se antea virum praestantissimum tam festinanter et inique judicasse (4). — Sicuti autem jam

---

(1) THEOBALD, SCHROECKH, *ll. ll.* ac HUSSENS *Leben*, *l. l. p.* 51 *sqq.* Schola Pragensis memoratâ scriptorum WICLEFI condemnatione praesertim Ecclesiae pacem, quae, per diversas sententias, de scriptis illis latas, in discrimen venerat, et simul doctrinam Catholicam tueri atque confirmare studebat. Conf. *Hist. du Wicklefianisme*, *l. c. p.* 62.

(2) THEOBALD, *l. l. p.* 7 *sq.* SEYFRIED, *l. l. p.* 22 *sq.* SCHROECKH, *o. l. T. XXXIV. p.* 578. HUSSENS *Leben*, *l. l. p.* 54 *sqq.* Conff. HUSSI *Historia et Monumenta*, *T. II. p.* 366*b*.

(3) Eodem modo, quo HUSSUS de WICLEFO, LUTHERUS deinde de HUSSO sententiam mutavit. LUTHERUS scilicet in praefatione ad scripta HUSSI dicit: *Ego olim Erfordiae studii Theologiae tyro, in Bibliothecâ Monasterii incidens in librum sermonum* JOANNIS HUS, *— — — admiratione afficiebar prope incredibili, quam ob causam tandem exustus esset vir tantus, in explicandâ et tractandâ Scripturâ tam dexter et gravis. — — — Eram adhuc nescius rerum in Concilio Constantiensi gestarum.*

(4) HUSSENS *Leben*, *l. l. p.* 41 *sq.* Satis haec docent, quid statuendum sit de iis, quae SPANHEMIUS (vide SEYFRIED *l. l. p.* 21.), *Historiae Ecclesiasticae p.* 8. narrat, nempe

jam antea depravatos aetatis suae mores increpaverat; ita praesertim postquam scriptis WICLEFI lectitandis miserrimum etiam disciplinae Ecclesiasticae statum interius perspexerat, omni studio et operâ agendi vivendique rationem cum populi tum Procerum reipublicae castigare atque emendare studebat (1). Quos quamdiu ejus ardor petit, tamdiu haud mediocriter placet Clericis. Simulatque vero hi vices ad se devenisse intelligant, ad iram et odia exardescunt, suasque de censore molestissimo querelas per SBINCONEM ad WENCESLAUM deferunt. Is tamen, suo quippe favore HUSSUM complectens, et Clero infensus, querelas illas nihil curat (2). — Quamvis autem HUSSUS ita non omnibus WICLEFI sententiis calculum adjiciebat (3); nihilominus tamen scripto-

---

WICLEFUM anno 1378 HUSSO (qui eo tempore puer quinque, scilicet, annos natus erat) scripsisse epistolam, quâ juberet illum, vexationes, quibus subjectus esset, ad exempla Sanctorum Veteris Novique Testamenti, patienter subire, seque, auxilio divino fretum, erroribus et superstitionibus Ecclesiae constanter opponere. — Mirandum sane, epistolam genuinam haberi a libri auctore, e sermone Gallico in vernaculum conversi: *Keur van Christelijke Brieven*, (*Rotterodami* 1830.) *p.* 45 *sq.*

(1) Vidd. HUSSI *Hist. et Monumenta, T. I. p.* 54ᵃ *sqq.* et nominatim Conciones ejus Synodicae, *ibidem, p.* 25ᵃ *sqq.* Etsi enim non certo constat, quando Conciones has habuerit, tamen probabiliter conjecit LENFANT (*Hist. du Conc. de Const. T. I. p.* 28 *sq.*), in illis nonnullas reperiri, quae ad annum 1404 vel 1405 referendae sunt. Conf. et SEYFRIED, *l. l. p.* 33 *sq.*

(2) THEOBALD, *l. l. p.* 10. PELZEL, *Lebensgesch. u. s. w., T. II. p.* 553 *sq.* HUSSENS *Leben, l. l. p.* 34 *sq.* GIESELER, *o. l. T. II. P.* 4. *p.* 398. *lit. f.*

(3) Sic HUSSUS in suâ *responsione ad scripta* M. STEPHANI PALETZ (HUSSI *Hist. et Monumenta, T. I. p.* 264ᵃ) dicit: *Nec mihi placet, quod iste Doctor* (STEPHANUS PALETZ) *in malâ*

torum ejus lectione eo impellebatur, ut non modo in Theologiâ Augustini vestigiis pressius insisteret, atque a Philosophis *Nominalibus*, qui vocabantur, ad *Reales* transiret (1); verum etiam in varios abusûs Ecclesiasticos vehementius inveheretur. Singulatim, ab eo inde tempore se licentiae *Indulgentiarum* opposuit, quarum mercaturam, pecuniae corradendae causâ, impudentissime etiam egerat BONIFACIUS IX Pontifex Rom. (2); itemque Bohemos admonuit, ut cum Cardinalibus, qui Concilium Oecumenicum Pisanum ad mensem Martium a. 1409 convocaverant (3), rem communem facerent, atque sic partes GREGORII, cui adhuc favebant, relinquerent (4).

His igitur omnibus HUSSUS multorum sibi odium conflabat. Sed quo magis numerus adversariorum augebatur,

---

significatione vocat nos Vuiglefistas. Ego enim fateor, quod sententias veras, quas M. JOAN. VUIGLEFF, *sacrae Theologiae Professor, posuit, teneo, non quia ipse dicit, sed quia* dicens *scriptura, vel ratio infallibilis dicit. Si autem aliquem errorem posuerit, nec ipsum nec quemcunque alium intendo in errore, quantumlibet modice, imitari.* Conf. et GIESELER, *l. l. p.* 392. *lit.* c. qui pro *dicens*, scripsit *divina.*

(1) De utrisque infra uberius dicendi locus erit.

(2) LENFANT, *o. l. T. I. p.* 27. PELZEL, *o. l. T. II. p.* 478 *sq.* Idem, *Urkundenbuch, T. II. p.* 92. N°. 188; HUSSENS *Leben, l. l. p.* 46 *sqq.*

(3) Ut major Principum Europae pars, ita et WENCESLAUS (vid. PELZEL, *Urkundenbuch, T. II. p.* 127 *sq.* SCHROECKH, *o. l. T. XXXIV. p.* 583.) jam antea cum Scholâ Parisiensi, deinde etiam cum Cardinalibus de eo consentiebat, ut GREGORIUS et BENEDICTUS cogerentur dignitate Pontificiâ se abdicare. Conf. GIESELER, *o. l. T. II. P.* 3. § 104. *p.* 140 *sqq.* et auctores ab eo citati.

(4) Vid. HUSSI *Epistola ad Cardinalium Collegium*, in ejus *Hist. et Monum., T. I. p.* 93*a*. Conf. LENFANT, *o. l. T. I. p.* 29.

tur, eo constantius ei adhaerebant fautores, ejusque causam defendebant, ita ut etiam in Scholâ Pragensi tam Professores quam discipuli cum totâ fere civitate duas in partes scinderentur; quarum altera saepe majora aut minora certamina cum alterâ commisceret (1). Constabant nempe Scholae alumni Bohemis et Germanis. Illi igitur, HUSSO addicti, his adversabantur, ac de juribus suis tuendis popularem strenue admonebant. Quorum votis hic lubens obtemperabat, explicando etiam in eorum rem decreto, ab Imperatore CAROLO IV anno 1347 facto, de quo Schola Pragensis, recens condita, ad exemplum Parisiensis instituenda esset. Moris autem in Scholâ Parisiensi erat, si de rebus, ad ejus salutem spectantibus, decernendum ac res suffragiis dirimenda esset, non unumquemque suffragantium respici, sed populos, ad quos suffragantes pertinerent; atque ita quidem, ut ipsi Franco-Galli jus trium haberent suffragiorum, exteri vero non nisi uno uterentur. Sed CAROLUS in Scholâ Pragensi, non obstante decreto memorato, jus trium suffragiorum concesserat Germanis, in Polonos, Bavaros et Saxones distributis, quarto tantum Bohemis relicto (2). Germani igitur etiamnunc tria ferebant suffragia; quae contra, ex CAROLI mente, Bohemorum esse, evincere conabatur HUSSUS, CAROLUM rem *facto* aliter solummodo ordinasse contendens, propterea quod illius aetate Bohemi in Litterarum studia segnius incumberent (3). Audito hoc HUSSI sermone, Rectoris no-

---

(1) His in certaminibus cum saepius ad arma concurrerent, identidem plures vulneratos, nonnullos etiam interfectos fuisse, narrat THEOBALD, *l. l. p.* 12.

(2) PELZEL, *Lebensgeschich. u. s. w. T. II. p.* 544.

(3) THEOBALD, *l. l. p.* 13. LENFANT, *Hist. du Conc. de*

novi creatio, in cujus gratiam tota Schola in Collegio Carolino congregari consueverat, prorogata, ac Regi lis delata est. Quam WENCESLAUS primum non valde curavit, deinde, decreto anno 1409 edito, in Bohemorum favorem diremit (1). Germani autem ut jam antea statuerant, Pragam relinquere, nisi de more tria suffragia habere pergerent; ita, duce JOANNE HOFMANNO, statuta extemplo perficiunt (2), fortasse sperantes, fore, ut, mutato WENCESLAI decreto, eo revocarentur et majore etiam potestate uterentur.

HUS-

Basle, *T. I. p.* 54. GILPIN autem, *Biographie u. s. w. p.* 164. *not.* aliique, quos inter nuperrime W. M. MUNTING, Antistes Sacrorum Leidensis, in Commentatione, insertâ operi: *Godgeleerde Bijdragen*, *T.* X. *p.* 550 *sqq.*, volunt, Bohemos, CAROLI IV aetate, reverâ tria tulisse suffragia. Quod tamen ut probari nequit, ita nec verisimile est; sic enim res vix ad disceptationem vocari potuit.

(1) Decretum invenitur apud PELZEL, *Urkundenbuch*, *T. II. p.* 125. N°. 217. Exstat etiam apud BALBINUM, *Ep. laud. p.* 428 (unde illud sumserunt LENFANT, *l. l.* et alii); mendose vero: quod dicit PELZEL, *Lebensgesch. u. s. w. T. II. p.* 545. *not.* 1. Tamen de summâ rerum uterque conspirat. — Differunt porro de tempore, quo decretum datum sit. Alii illud referunt ad 18 Januarii; alii ad 27 Septembris; alii, denique, ad 13 Octobris. Diem 18 Januarii, ad quem apud PELZEL, *Urkundenbuch l. l.* refertur, praeferimus.

(2) Rerum harum scriptores valde inter se discrepant de numero Studiosorum, qui abierint. AENEAS SYLVIUS vocat 5000, TRITHEMIUS et COCHLAEUS tantum habent 2000; DUBRAVIUS 24000, LAUDA apud BALBINUM 36000, HAGECUS 40000, LUPRACIUS 44000 appellat. Quatuor posteriores rem procul dubio praeter modum exaggerarunt. Pariter dissentiunt de numero eorum, qui manserint. Comparetur v. c. PFISTER, *o. l.*, *T. III. p.* 379., qui 2000 vocat, cum P. CLUVE-

Hussus abitum Germanorum, qui nunc alias in Scholas migrabant (1), animo perquam commoto conspiciebat. Mox autem Scholae Pragensis Rector creatus, *venenum*, inquit AENEAS SYLVIUS (2), *quod jam pridem occulte conceperat, palam evomuit;* id vero est, Clericorum vitia detexit reprehenditque (3), WICLEFUM laudavit, virum bonum, sanctum coeloque dignum eum vocans, ejusque libros omnem veritatem continere dicens (4); denique plures sententias vulgaribus contrarias proposuit atque defendit; v. c. Romanum Praesulem reliquis Episcopis parem esse; vanum esse orare pro mortuis; jejuniis quoque ab Ecclesiâ institutis nihil inesse meriti, alia (5). Quibus omnibus tantopere in Clericorum odium incurrit, ut ALEXANDER V, Bullâ, SBINCONIS instinctu (6), 20 Decembris anni 1409 editâ, con-

---

RII, *Introductione in Geograph.* etc. (Amstelodami a. 1729.) *p.* 235. *not.*, qui 40000 habet. Vid. et PELZEL, *Lebensgesch. u. s. w. T. II. p.* 550 *sq.*

(1) Hac opportunitate, eodem etiam a. 1409, ab Electore Saxonico FERDINANDO condebatur Schola Lipsiensis. Vidd. J. L. MOSHEMII *Institt. Hist. Eccl. Saec. XV. P.* 2. *C.* 2. § 6. SCHROECKH, *o. l. T. XXX. p.* 110 *sqq.* PELZEL, *l. l. p.* 551.

(2) *l. o. p.* 103.

(3) *Suis in praedicationibus hypocrysin, pompam, avaritiam, luxuriam, simoniam et alia Cleri peccata constanter investabatur et detegebat pro ipsius Cleri statu ad vitam Apostolicam reducendo.* Ita apud J. P. LUDEWIG, *in Reliquiis Manuscriptorum* etc. (Francofurti et Lipsiae 1724.) *T. VI. p.* 127. Conff. HUSSI *Conciones Synodicae in Hist.* et *Monum. T. I. p.* 42b *sqq.*

(4) Cf. AENEAS SYLVIUS, *l. l.*

(5) Conff. SEYFRIED, *l. l. p.* 27 *sq.* HUSSENS *Leben*, *l. l. p.* 82 *sq.* coll. HUSSI *Hist. et Monum. T. II. p.* 48b *sqq.*

(6) SBINCO, partibus GREGORII XII relictis, in ALEXANDRI

conciones sacras in Bohemiâ, nisi in *Cathedralibus*, *Monasteriis* ac *Parochialibus*, habere interdiceret, et quam acerrime in haereticos inquirere eorumque errores exstirpare juberet (1). Cui ALEXANDRI Bullae ut SBINCO adjecerat, omnes WICLEFI libros sibi afferendos esse, ita eos anno 1410, nullâ institutâ inquisitione, igni tradendos curabat (2). Quae SBINCONIS importunitas, Bohemis eam, ac violata Scholae suae jura, indigne ferentibus, HUSSO neutiquam nocebat; qui jam proximo die Dominico Archi-Episcopi audaciam acerrime reprehendit (3), atque porro a Bullâ ALEXANDRI ad hunc me-

---

partes decesserat, atque huic significaverat, totam Bohemiam veneno Wiclefiano infectam esse. SEYFRIED, *l. l. p.* 29. De modo, quo SBINCO in hac re se gessit, conff. HUSSI *Appell. ad Papam*, in ejus *Hist. et Monum. T. I. p.* 89ª *sqq.*

(1) RAYNALDUS, *ad annum* 1409. N°. 89. PELZEL, *Urkundenbuch, T. II. p.* 129 *sq.* N°. 219. Conff. HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 89ª *sqq.* LENFANT, *Hist. du Conc. de Pise, T. I. p.* 323. SCHROECKH, *o. l. T. XXXIV. p.* 585 *sq.*

(2) GILPIN, *l. l. p.* 166 *sq.* Conff. HUSSI *Hist. et Monum, T. I. p.* 13ᵇ. Vulgo traditur, una cum WICLEFI libris, scripta tam MILICZII quam MATTHIAE, de quibus HUSSI praecursoribus *p.* 11 *sqq.* diximus, Pragae fuisse combusta. At observandum, HAGECUM, (*Bömische Chronick, p.* 659), et PROCOPIUM LUPACIUM, (*Calendar. Hist. ad diem* 16 *Julii*), quorum utriusque dicta huc spectantia descripsit GIESELER, *o. l. T. II. P.* 3. *p.* 290. *lit. i.*, rem illam de aliquâ famâ narrare. Recentior demum THEOBALDUS, eam pro certo refert, scribens, (*l. l. C.* 6): *der Bischoff fieng an zu handlen mit den Büchern des* WICLEFHS — — — *zu verbrennen, darunter etliche des* HUSSII, JOHANNIS MILICZII, M. HYERONYMI *Pragensis*, M. MATTHIAE *Parisiensis, und viel anderer waren.* E quibus satis apparet, vulgatae deinde traditioni haud multum tribuendum esse.

(3) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 105ª *sqq.* THEOBALD, *l. l. p.* 18 *sq.* Conff. et HUSSI *Hist. et Monum. T. II. p.* 47ª *sqq.*

meliora edoctum appellat (1). ALEXANDRO autem 3 Maji 1410 mortuo, HUSSUS ab Archi-Episcopo rursus appellat ad JOANNEM XXIII, 17 Maji ejusdem anni in decessoris locum suffectum (2). Schola item Pragensis 15 Junii decernit: *quod Universitas nullo modo consentit Archi-Episcopo Pragensi* SBINCONI *cum suis Praelatis in combustionem librorum Magistri* JOHANNIS WICLEF, *sed quod tota Universitas visitet Dominum Regem, ipsumque petat, ut talem impediat combustionem, ne exinde confusio toti Regno, Domino Regi et Universitati inferatur* (3). SBINCO vero HUSSUM apud JOANNEM accusat; qui ejus causam Cardinali DE COLUMNA inquirendam tradit. Hac autem cognitâ, Cardinalis HUSSUM citat, ut coram Curiâ Romanâ se sistat. Sed WENCESLAUS, litteris missis, pro eo intercedit apud Pontificem, eum injuste accusatum esse, nec sine summo vitae periculo iter facere posse, asseverans (4). HUSSUS praeterea ad Curiam Romanam ipse mittit legatos, qui causam suam agant (5). Eos vero Cardinalis ad se admittere recusat, ac HUSSUM, cum Romam die constituto ipse non venerit, contumacem vocat haereticum, eumque ex Ecclesiâ ejicit (6): quam sententiam quatuor alii Cardinales, Cardinali DE COLUMNA a Pontifice adjuncti, confirmant. Interea HUSSUS tutelâ WENCESLAI fretus, scriben-

---

(1) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 235b.

(2) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 89a *sqq.* 235b.

(3) PELZEL, *Urkundenbuch, o. l. T. II. p.* 130. No. 220. Conf. GIESELER, *o. l. T. II. P.* 4. *p.* 399. *lit. i.*

(4) HUSSI *Hist. et Monum. T.* 1a 86b. THEOBALD, *l. l. p.* 19 *sq.*

(5) HUSSI *Hist. et Monum. l. l.*

(6) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 1a.

bendo (1) dicendoque (2) sine magno discrimine se defendere potest (3); dum plebs Pragensis tanto SBINCONEM contemtui habet, ut, per jocum, *Alphabetarium* eum appellaret, et *plerique insolentes, vulgares ac ironicas de eodem viro Dei confingerent et decantarent cantiones publice per plateas* etc. (4).

WENCESLAUS, de illarum exitu rixarum sollicitus, concordiam HUSSUM inter ac SBINCONEM redintegrare tentat. Quod hactenus ei succedit, ut HUSSUS ab omni haeresis suspicione, fidei confessione 1 Septembris 1411 editâ, se liberet (5), et SBINCO, paulo post, Epistolam componat,

---

(1) Ita HUSSUS *Replicam contra Anglicum* J. STOKES etc. (*Hist. et Monum. T. I. p.* 101a *sqq.*) eo tempore confecisse videtur.

(2) Conff. HUSSI *Hist. et Monum. T. II. p.* 48b *sqq.*

(3) Non affirmandum videtur, quod LENFANT, (*Hist. du Conc. de Pise, T. II. p.* 68 *sqq.*) narrat, et (ibid. *p.* 266 *sqq.*) defendit, HUSSUM nempe simulatque ex Ecclesiâ ejectus erat, Pragam reliquisse. Solus DUBRAVIUS, (*l. c. p.* 616, 619.), hunc opinatum HUSSI abitum itemque ejus reditum tradit. Ex iis enim, quae AENEAS SYLVIUS (*l. l. p.* 104.) habet, nihil ad rem dirimendam effici potest. Quod autem attinet ad Epistolam HUSSI (*Hist. et Monum. T. I. p.* 99a *sq.*), quam LENFANT urget; non perspicio, cur haec non scribi potuerit festo Christi natali anni 1413, cum Excommunicationis Bulla et Interdictum Pontificium (de quibus infra dicendum erit) mense Junii ejusdem anni edita sint: quod LENFANT et ipse narrat (*l. l. p.* 267).

(4) Ita STEPHANUS, Prior Dolanensis, *Anti-Husso C.* 16 in PEZII *Thesauro Anecd. T. IV. P.* 2. *p.* 418. coll. PELZEL, *Lebensgesch. u. s. w. T. II. p.* 568. Quarum cantilenarum specimen etiam reperitur in *Abrégé de l'Hist. des Eglises Esclavonnes et Vaudoises, T. V. p.* 196. *notâ.*

(5) PELZEL, *Urkundenbuch, T. II. p.* 144. N°. 230. Conf. SCHROECKH, *o. l. T. XXXIV. p.* 591.

nat, Pontifici mittendam, quâ ei significet, nullos errores haereticos in Bohemiâ amplius reperiri (1). Verumtamen SBINCONE jam 28 ejusdem mensis mortuo, Epistola ad Pontificem non mittitur (2); atque lites, quas sopire sibi proposuerat WENCESLAUS, vehementius etiam exardescere incipiunt. HUSSUS nempe huc usque praesertim Clericis se opposuerat, Rege Proceribusque Bohemiae permittentibus et instigantibus. Jam vero (a. 1412) se opponit *Indulgentiis Pontificiis*, quae in Bohemiâ impudentissime venduntur (3). Scilicet JOANNES XXIII, ab inimico LADISLAO, Rege Neapolitano, in angustias compulsus (4), duas ediderat *Bullas*, alteram *Indulgentiarum pro subsidio contra* LADISLAUM, *Regem Apuliae;* alteram *de erectione crucis contra* LADISLAUM, *continentem remissionem omnium peccatorum a poenâ et a culpâ* etc. (5). Plures autem cives Pragenses Indulgentiis his publicandis strenue resistebant. Sed praeterea HUSSUS, de tali auctoritatis Pontificiae abusu valde indignatus, quaestionem disceptandam proponebat, cujus argumentum Pragae ad januas aedium sacrarum ita expressum erat: *Utrum secundum legem Jesu Christi licet et expedit, pro honore Dei et salute populi, ac pro commodo Regni, Bullas Papae de erec-*

(1) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 87b *sq.*

(2) Ibidem.

(3) WENCESLAUS primum quidem concesserat, Indulgentias in Bohemiâ vendi; deinde vero Epistolam ad Pontificem misit, quâ querebatur tam de impudentissimis, quae iis continebantur, promissionibus, quam de turpissimâ venditorum avaritiâ. PELZEL, *Lebensgesch. u. s. w. T. II. p.* 605, 607. *Urkundenbuch, T. II. p.* 151. N°. 234.

(4) SCHROECKH, *o. l. T. XXXI. p.* 383 *sqq.*

(5) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 171a *sqq.*

erectione crucis contra LADISLAUM, *Regem Apuliae, et suos complices, Christi fidelibus approbare?* Die disputationis constituto, contra variorum dubitationes Doctorum sententiam mascule defendit (1). Quâ disputatione, itemque pluribus scriptionibus, cum adversus Indulgentias, tum contra Bullam de erectione crucis compositis (2), adeo inflammat studiosorum et populi animos, ut decretis Pontificiis contradicant publice, illaque maximo se habere contemtui significent (3).

His Pragae ita gestis atque a Pontifice molestissime latis, mox in Concilio Romano scripta WICLEFI condemnantur (4). Adversus quam condemnationem Facultas Theologorum Collegii Carolini promulgat *defensionem quorundam articulorum* JOANNIS WICLEFF, HUSSO auctori vulgo tributam (5). Haec defensio et scriptiones

---

(1) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 174a. Conff. THEOBALD, *l. l. p.* 24 *sq.* SEYFRIED, *l. l. p.* 33.

(2) HUSSUS in Bullâ, quam priore loco memoravimus, tria considerat, nempe, ut ipse appellat, *indulgentiam omnium peccatorum, subsidia bellorum*, et *circa utraque ista, modum.* HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 174a *sqq.* De alterâ Bullâ dicit ibidem *p.* 189b *sqq.* De utrâque plura disputat, quae lectu dignissima sunt rectamque sentiendi rationem produnt. Conff. LENFANT, *Hist. du Conc. de Pise, T. II. p.* 102 *sqq.* et GIESELER, *o. l. T. II. P.* 4. *p.* 403 *sqq. lit. o.*

(3) Vidd. de his AENEAS SYLVIUS, *l. l. p.* 105. LENFANT, *l. l. p.* 112 *sq. Vollständige Geschichte der Hussiten u. s. w.* (Lipsiae 1783) *p.* 24 *sq.* PELZEL, *Lebensgesch. u. s. w. T. II. p.* 608 *sqq. Abrégé de l'Hist.* etc. *o. l. T. V. p.* 197. SCHROECKH, *o. l. T. XXXIV. p.* 596 *sq.* HUSSENS *Leben, l. l. p.* 119 *sqq.* GIESELER, *l. l. p.* 406 *sq. lit. p.* PFISTER, *o. l. T. III. p.* 381.

(4) MANSI, *o. l. T. XXVII. p.* 505 *sqq.*

(5) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 111a *sqq.* Conf. LENFANT, *l. l. p.* 113 *sqq.*

nes a HUSSO divulgatae (1) Clericorum iras tantopere movent, ut eum coram Pontifice rursus accusent. Pontifex HUSSUM Ecclesiâ exturbat, locosque, ubi degat, *Interdicto* subesse pronuntiat (2). Hussus vero, Concilium Oecumenicum exspectans, Caput Ecclesiae, Dominum Jesum Christum, appellat (3). Sed probe perspiciens, se nihil, si Pragae commorari pergat, ad causam suam tuendam efficere posse, contra vero urbi sibi dilectissimae magnas calamitates allaturum esse, animo commoto, sed ope divinâ freto, Pragam relinquit, in pagum natalem Hussinecz, ubi quoque Domini NICOLAI tutela majorem ei daret securitatem, profecturus (4).

Brevi autem, antequam Pragae valedixerat, vel saltem haud diu post, finem imponebat *tractatui* celeberrimo *de Ecclesiâ:* unde inimici deinde tot adversus eum petiverunt accusationes. A quâ scriptione laudandâ tamen COCHLAEUS, qui certe HUSSI patronis non annumerandus est, temperare non potuit (5). Porro, urbe relictâ

---

(1) LENFANT, *l. l. p.* 118 *sqq.* SCHROECKH, *o. l. T. XXXIV. p.* 601 *sqq.*

(2) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 78a. SEYFRIED, *l. l. p.* 34.

(3) *Ipse enim* (Christus) — ita HUSSUS etiam dicit in *Tractatu de Ecclesiâ Cap.* 18. — *est quolibet Papâ in decidendo causam praestantior, cum non potest errare, nec denegare petenti rite justitiam, nec potest hominem suâ lege praesuppositâ sine demerito damnare.* Vidd. HUSSI *Hist. et Monum. T. I p.* 235b. Conff. item *p.* 17b. et LENFANT, *Hist. du Conc. de Const. T. I. p.* 33 *sq.*

(4) SEYFRIED, *l. l. p.* 38.

(5) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 196b *sqq.* LENFANT, *Hist. du Conc. de Pise, T. II. p.* 237 *sqq.* SCHROECKH, *o. l. T. XXXIV. p.* 606 *sqq.* GIESELER, *o. l. T.* II. *P.* 4. *p.* 407 *sqq. lit. s.*

lictà, cum in variis, quae peragrabat, locis, tum in pago natali a vitiis Clericorum increpandis populoque Christiano ad ineundam salutis viam adhortando haud destitit (1); dum simul amicos et fautores Pragae degentes consolari et corroborare studebat, Epistolis identidem ad eos missis (2), donec mandatum accepit, ut coram Concilio Constantiensi se sisteret.

§. 3.

Hussus Constantiam proficiscitur.

Hussus igitur cum in pago Hussinecz degebat, dicendoque pro concione et scribendo occupatus erat, jussit eum Imperator SIGISMUNDUS Constantiam venire, ut in Concilio congregato se ipsum et totam Bohemiam ab haeresis suspicione liberaret (3). Quo nuncio accepto, primum Pragam petit; ibique versans, variis scriptionibus paratum se declarat, uniuscujusque dubia, suas contra doctrinas mota, audire, ad eaque CONRADO, Archi-Episcopo Pragensi, SBINCONIS, post ALBINUM, ab an-

(1) PELZEL, *Lebensgesch. u. s. w. T.* II. *p.* 618 *sq.*

(2) HUSSI *Hist. et Monum. T.* I. *p.* 93[b] *sqq.* LENFANT (*Hist. du Conc. de Const. T.* I. *p.* 36 *sq.*), eo tempore a HUSSO confectum esse putat ejus opusculum *de sex erroribus.* Cf. HUSSI *Hist. et Monum. T.* I. *p.* 191[b] *sqq.* Perperam nonnulli huc trahunt scriptionem *de Sacerdotum et Monachorum abhorrendâ abominatione* etc., MATTHIAE DE JANOW vindicandam. Vide supra. *p.* 13. *not.* 3.

(3) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 1[b]. SEYFRIED, *l. l. p.* 41. LENFANT, *l. l. p.* 37.

anno 1411 successori (1), et coram Concilio respondere (2). Praeterea Bohemiae Proceribus litteras mittit, quibus eos invitat, ut de se suisque doctrinis Archi-Episcopum rogent, cognitamque illius sententiam divulgent. Quâ in re ei morigerantur (3). Porro sibi, vel procuratori JOANNI JESSENITZ, quamvis frustra, aditum conciliare cupit ad conventum, ab Archi-Episcopo ejusque Clericis habendum, ut suam in causam inquirerent (4). Item procuratorem suum ad NICOLAUM, *Episcopum Nazarethanum* (5), haeresium in urbe et Diocesi Pragensi Inquisitorem, mittit, sciscitandi causâ, num hic compertum habeat, se a doctrinâ Catholicâ ad falsas doctrinas spargendas delapsum esse. Ille autem

---

(1) Vid. de ALBINO, PELZEL, *Lebensgesch. u. s. w. T. II. p.* 592 *sqq.*, 603 *sqq.* IDEM, *Urkundenbuch, T. II. p.* 149. N°. 233; et de CONRADO, PELZEL, *Lebensgesch. u. s. w. T. II. p.* 614 *sqq.* Conf. item *Vollst. Gesch. der Hussiten u. s. w. p.* 25.

(2) HUSSI *Hist. et Monum. l. l.* SEYFRIED, *l. l. p.* 42. PELZEL, *Lebensgesch. u. s. w. T. II. p.* 627.

(3) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 3b *coll.* 75b *sq.* VON DER HARDT, *o. l. T. IV. P.* 2. *p.* 32 *sq.* THEOBALD, *l. l. p.* 36. *Vollst. Gesch. der Hussiten. p.* 30.

(4) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 3b *sq.* SEYFRIED, *l. l. p.* 45 *sq.*

(5) Postquam milites cruce signati varias Orientis Palaestinaeque regiones sibi subjecissent, Pontificum Romanorum auspiciis Episcoporum sedes ibi condebantur. Mutatâ armorum fortunâ, ac Religionis Christianae vindicibus ex Oriente magis magisque et tandem plane pulsis, plurimi Episcopi, qui sedes recens conditas occupaverant, ex Oriente in Occidentem refugiebant, *Episcopi in partibus infidelium* et *Episcopi titulares* deinde dicti. Saeculo XIII et magis etiam XIV opulenti Occidentis Episcopi, Franco-Gallis exceptis, fugatos illos ex Oriente Episcopos sibi adjutores, seu, ut loquebantur, *vicarios* in

tem his fere verbis respondet: *Ego multis et pluribus vicibus Magistro* JOANNI HUS *conversatus sum, secum comedendo et bibendo, et sermonibus suis saepe interfui, ac collationes plures de diversis Sacrae Scripturae materiis faciendo, nunquam aliquem in ipso inveni errorem vel haeresin, sed in omnibus verbis et operibus suis ipsum semper verum et catholicum hominem reperi, nec aliquid in eo reperi, quod haeresin saperet vel errorem.* Dictis adjecit: *quod a tempore illo, quo ipsum Magistrum* JOANNEM HUS *cognovit, et ipse factus est Inquisitor pravitatis haereticae in civitate et Diocesi Pragensi, numquam aliquis eundem Magistrum* JOANNEM HUS *de haeresi coram ipso accusavit aut convicit usque ad tempus praesens* (1). Denique Imperator SIGISMUNDUS incolumitatis litteras ei ipse promiserat (2); quas, antequam venit Constantiam, ab

---

pontificalibus, *Suffraganeorum* nomine, adsciscebant. Conff. PLANCK, *o. l. T. IV. P.* 2. *p.* 604 *sqq.* et GIESELER, *o. l. T. II. P.* 2. *p.* 286 *sq.* Romani autem Pontifices, nihil, quod aliquando ad eos pertinuisset, unquam perditum putantes, etiam Episcoporum sedes, belli sacri tempore in Oriente conditas, nec saeculis sequentibus sublatas habebant, idcirco, successione perpetuâ, Episcopos, nempe titulares, iis assignare pergentes. Ex ejusmodi igitur Episcoporum numero quoque erat Inquisitor NICOLAUS, ita Episcopi Nazarethani dignitatem cogitatione tenens.

(1) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 3ª. coll. *p.* 2ᵇ. SEYFRIED, *l. l. p.* 46 *sq.* Conf. et ROYKO, *o. l. T. I. p.* 22 *sqq.*

(2) LENFANT, *Hist. du Conc. de Const. T. I. p.* 39. inde, quod HUSSUS, antequam incolumitatis litteras a SIGISMUNDO acceperat, in Epistolâ dixit: *ego proficiscar nunc cum litteris publicae fidei, a Rege mihi datis* (HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 57ᵇ), probare studet, eum illo tempore tales litteras a Rege WENCESLAO jam accepisse. Sed nihil obstat, quominus

ab eo quoque accepit (1). His in litteris SIGISMUNDUS Magistratibus, quibus exhibeantur, declarat: ***honerabilem Magistrum*** **JOANNEM HUS*****, de regno Bohemiae ad Concilium generale, in civitate Constantiensi celebrandum, in proximo transeuntem, quem etiam in nostram et sacri imperii protectionem recepimus et tutelam, vobis omnibus et vestro cuilibet pleno recommendamus affectu; desiderantes quatenus ipsum, cum ad vos pervenerit, grate suscipere, favorabiliter tractare, atque in his, quae ad celeritatem et securitatem itineris ipsius pertinent, tam per terram quam per aquam, promotivam sibi velitis et debeatis ostendere voluntatem, nec non ipsum cum famulis, equis, et aliis rebus suis singulis, per quoscunque passûs, portûs, pontes, terras, dominia, jurisdictiones, civitates, oppida, castra, villas, et quaelibet alia loca vestra, sine ullâ solutione tributi, telonii, aut alio quovis solutionis onere, omnique prorsus impedimento remoto, transire, stare, morari et redire libere permittatis, sibique et suis, cum opus fuerit, de securo et salvo velitis et debeatis providere conductu, ad honorem et reverentiam nostrae Majestatis*** **(2).**

At,

HUSSUS de litteris a SIGISMUNDO sibi promissis loqui potuerit, aeque ac si eas reapse teneret. Quod candidae ejus indoli plane etiam convenit. *Regis* autem titulum et alibi SIGISMUNDO tribuit, v. c. *Epist.* 34. (HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 68b.): *existimo, quod ille scivit intentionem* Regis.

(1) Omnem praeter causam dubitat BZOVIUS (excitatus a SEYFRIEDO, *l. l. p.* 48. aliisque), an incolumitatis litterae HUSSO quidem unquam fuerint traditae.

(2) Exstant hae litterae in HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 1b. et alibi. Ex quarum argumento patet, quid sentiendum sit de BILDERDIKII opinione, qui contendit (*Gesch. des*

At, non obstantibus his omnibus, HUSSUS, Constantiam abiturus, sortem suam quodammodo praesensisse videtur. Quod jam arguit Epistola obsignata, quam Magistro MARTINO reliquerat, cujusque in fronte scripserat: *Rogo te, quod istam litteram non aperias, nisi certus fueris de hoc, quod sim mortuus* (1). Clarius etiam illud testantur litterae, quas eodem tempore Pragensibus dedit. In his enim legimus: *Verum ego confido Deo, Salvatori meo omnipotenti, qui Spiritum S. suum dabit, ut possim esse contemptore animo adversus tentationes, carcerem ac supplicium dirae mortis.* Item: *Jam forte Pragae me porro non visuri estis* (2). Sed quamvis ita in futurum prospiciebat, nihilominus, suâ fretus innocentiâ, Constantiam abiit (3), comitantibus eum JOANNE DE CHLUM, WENCESLAO DE DUBA et HENRICO LUTZEMBOCK. In praecipuis, quas visitat, urbibus litteras edit publice, quibus unumquemque invitat, cui haeresis suspectus sit, ut accusationes ad Concilium deferat (4). Maximâ autem comitate ubique ex-

---

Vaderlands, T. IV. p. 343.), SIGISMUNDUM iis neutiquam obstrictum fuisse, ut HUSSO incolumem in Bohemiam reditum conciliaret. Ad quod Clar. TYDEMAN, operis Bilderdykiani editor, tantummodo notat, CAROLUM V de salutis Epistolâ, a se LUTHERO datâ, longe aliter existimasse.

(1) Haec Epistola, quae HUSSI tanquam Testamentum ac fidei Confessionem continet, reperitur in *Hist. et Monum. T. I. p.* 57ª.

(2) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 57ª *sq.* THEOBALD, *l. l. p.* 37. BOYKO, *o. l. T. I. p.* 24 *sqq.*

(3) De abitûs die ita differunt auctores, ut aliquid certi de eo statuere difficile sit.

(4) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 4ª. SEYFRIED, *l. l. p.* 51. GILPIN, *l. l. p.* 186 *sq.*

excipitur. *In omnibus*, inquit ipse, *civitatibus bene stetimus, honorati sumus, intimationes apposuimus Latinas et Teutonicas. In civitatibus imperialibus habui collocutiones cum Magistris* etc (1). Neurembergae plures sacerdotes, senatores et cives magnâ cum voluptate dicentem eum audiunt. In hac urbe quoque Epistolam Pragensibus suis scribit, quâ itineris fata narrans, inter alia dicit: *nullum adhuc sensi inimicum. — — Nullibi interdictum ponunt, et laudant omnes intimationem Teutonicam* etc (2).

Sic igitur bono hilarique animo Constantiam tendit. Quâ vero urbe conspectâ, timore quodam et sollicitudine afficitur (3), aeque ac paulo ante Pontifex JOANNES XXIII, eodem profectus; hic quidem, quippe scelerum poenas se daturum metuens, ille vero, de suâ sibi innocentiâ persuasissimus, sed veritus, ne Concilium homine insonte condemnando scelere se ipsum pollueret. Tandem 3 Novembris 1414 Constantiam ingreditur, in domum cujusdam viduae, cui' FIDAE nomen, se recipiens (4).

§ 4.

(1) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 58b. Conf. et *p.* 59a.

(2) *l. l. p.* 57b *sq.* Conf. LENFANT, *Hist. du Conc. de Const. T. I. p.* 40 *sqq.*

(3) HUSSENS *Leben, l. l. p.* 157 *sq.*

(4) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 4b. Bona erat mulier. *Alteram Sareptanam* illam appellat HUSSUS *Epist.* 50. *Hist. et Monum. T. I. p.* 73a.

§. 4.

Hussus Constantiae versans, ad tempus, quo coram Concilio se sistit.

Jam postridie quam HUSSUS Constantiam venerat, JOANNES DE CHLUM et HENRICUS LUTZEMBOCK Pontificem JOANNEM certiorem reddunt, HUSSUM cum litteris incolumitatis imperatoriis advenisse, simul ab eo petentes, uteas sigillo suo confirmet. Quod Pontifex recusat, respondens tamen: *Etiamsi* JOANNES HUS *fratrem sibi germanum occidisset, tamen se nullo modo commissurum, quantum in ipso esset, ut aliqua ei fieret injuria, quamdiu Constantiae esset* (1). Et reverâ, HUSSO anathemate soluto primum Constantiae ubique libere versari licuit (2). Quo temporis spatio varias etiam scripsit Epistolas (3), duasque, ut verisimile est, confecit disputationes, alteram *de sanguine Christi sub specie vini a Laicis sumendo* (4), alteram *de sufficientiâ legis Christi ad regendam Ecclesiam* (5). Duas item eodem tempore composuit orationes sacras, quas in Concilio habere volebat, quarumque prior maxime fidei confessi-

---

(1) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 4[b].

(2) Attamen cum Patribus Constantiensibus displiceret, HUSSUM palam etiam conciones sacras habere, eum rogant, ut, quemadmodum in Epistolâ, vulgo ei tributâ, dicitur, *propter scandalum populi et rumorem evitandum, solum eorum missationibus ac solennitatibus non intersit.* HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 58[a]. *Epist.* 4.

(3) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 58[a] *sqq.*

(4) *l. l. p.* 42[a] *sqq.* coll. *p.* 72[a].

(5) *l. l. p.* 44[b] *sqq.* coll. HUSSENS *Leben, l. l. p.* 166 *sqq.*

sionem, posterior varias admonitiones atque adhortationes complectebatur (1).

Sed bonis his ominibus infausta successerunt. Nam paucos tantum dies HUSSUS Constantiae degebat, cum acerrimi ejus adversarii, STEPHANUS PALETZ, Theologiae Doctor in Scholâ Pragensi, et MICHAEL DE CAUSIS, antea Clericus Bohemus (2), Cardinalibus aliisque Episcopis nonnullas tradiderunt sententias, ex illius scriptis, ut dicebant, excerptas, et haeresin iis olere visas; itemque effecerunt, ut ad Pontificem et Cardinales in sui defensionem vocaretur (3). Cui jusso HUSSUS quidem obtemperavit, ita tamen, ut significaret, se Constantiam venisse, quo coram Concilio, minime coram Cardinalibus, causam diceret, simul declarans, *se mori malle, quam unius alicujus erroris sibi conscium esse* (4). Postquam Cardinales, quasi deliberandi gratiâ, discesserant, HUSSUS et JOANNES DE CHLUM in custodiam militibus traditi sunt. Quorum posterior quidem brevi post in libertatem vindicatur; prior vero in domo Canonici cujusdam Constantiensis, a 28 Novembris captivus mansit (5). — Jam JOANNES DE CHLUM, incolumitatis litteras violatas esse indignissime ferens, primum in HUSSI gratiam se convertit ad Pontificem; qui haec non

---

(1) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 48b *sqq.*, 52a *sqq.* Conf. LENFANT, *Hist. du Conc. de Const. T. I. p.* 42 *sqq.*

(2) De utroque, in HUSSI perniciem e Bohemiâ Constantiam profecto, infra uberius dicendi locus erit.

(3) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 4b *sq.* coll. *p.* 58a.

(4) *l. l. p.* 5a.

(5) *l. l. p.* 5a *sq.* alibi. Neque etiam ab insidiis HUSSO struendis quaestionibusque spinosis ei proponendis hoc tempore abstinuerunt. Sic v. c., postquam Cardinales abierant, Monachus quidam ad HUSSUM accessit, ac cum eo disceptavit de *Transsubstantiatione*, quam appellant, et de duplici Christi naturâ. HUSSI *Hist. et Monum. l. l.*

non jussu suo facta esse respondet, dictis adjiciens: *quid est, quod mihi hoc imputatis, cum sciatis, me in istorum, Cardinalium, inquam, et Episcoporum, potestate esse* (1). Sigismundus autem, Constantiâ absens, re cognitâ, per legatos suos minatus quidem est, se curaturum esse, ut effringeretur carcer, cui hussus inclusus erat, nisi hic inde liberaretur (2): sed Pontifex ne vel flocci facit has comminationes; quas et deinde sigismundo vitio vertere nequaquam dubitavit (3).

Dum autem vir eximius tantam erga se perfidiam experiebatur, omnes ejus fautores sperabant, fore, ut sigismundus, quod absens frustra tentasset, praesentiâ efficeret. Is igitur cum in eo esset, ut Constantiam visitaret, joannes de chlum, Vigiliâ Nativitatis Christi (24 Decembris) a. 1414, ad aedes sacras affigendam curavit scriptionem, quâ spretam auctoritatem Imperatoriam populo notam faceret (4). Jam sigismundus sequenti die, memoriae Christi nati recolendae dicato, in urbe adest (5); sed brevi postquam advenerat, senten-

ti-

(1) hussi *Hist. et Monum. T. I. p.* 5b.

(2) von der hardt, *o. l. T. IV. P.* 1. *p.* 26. Conf. lenfant, *l. l. p.* 73.

(3) von der hardt, *o. l. T. II. P.* 10. *p.* 255.

(4) hussi *Hist. et Monum. T. I. p.* 75b. alibi. Narrant cochlaeus, reichenthal, bzovius aliique, hussum primum in fugam se conjecisse, at captum, in carcerem abductum fuisse. Conf. et *Hist. du Wiclefianisme l. c. p.* 103 *sqq.* Sed haec narratio jam ipso facto joannis de chlum, quod attulimus, falsi arguitur. Eam porro refutarunt seyfried, *l. l. p.* 56 *sqq.* et lenfant, *l. l. p.* 88 *sqq.*

(5) theodoricus de vrie, *l. l. p.* 154 *sqq.* Vixit theodoricus tempore Concilii Constantiensis. Conf. de eo von der hardt, in Praef. ad *Historiam Conc. Constant. T. I. P.* 1.

tiam ante declaratam mutat, ac spem, quam de eo conceperent, misere fallit, ut adeo dicere non vereatur: *Concilium in causis fidei liberum esse debet, et potest procedere contra eos, quos constat de haeresi esse infamatos* etc. (1).

In hoc igitur rerum statu Imperator Epistolam, Pragae anno 1414 die dominico a festo FRANCISCI proximo datam, a Bohemiae Proceribus accipit (2); quae vero tantum abest, ut optatum habeat effectum, ut inhumanius etiam HUSSUS tractetur, et in Dominicanorum Monasterium, ad Rhenum situm, abducatur. Ubi humidum squalidumque in locum conjectus, gravissimum inde morbum contrahit; ex quo Medicorum curâ vix reficitur (3). Neque et altera Procerum Epistola, priori eodem mense succedens, sortem viri mitigat (4). Itaque, tristi carceri inclusus, in Monasterio Dominicanorum manet; unde 3 Martii a. 1415 in alium transfertur, in Franciscanorum Monasterio ei paratum (5); ibique degit, donec Pontifex JOANNES XXIII, maximorum scelerum accusatus, et coactus dignitate suâ se abdicare, Constantiâ 21 Martii aufugit (6). Quam post fugam HUSSUS Episcopo Constantiensi in custodiam traditur, mox e carcere, quo hoc tempore tenebatur, deductus in

(1) VON DER HARDT, *o. l. T. IV. P* 2. *p.* 32. *P* 8. *p.* 521.

(2) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 75[b] *sq.* Conff. THEOBALD, *l. l. p.* 46 *sq.* et VON DER HARDT, *o. l. T. IV. P.* 2. *p.* 32 *sq.*

(3) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 5[b]. VON DER HARDT, *l. l. p.* 33.

(4) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 76[a] *sq.* THEOBALD, *l. l. p.* 47 *sq.* VON DER HARDT, *l. l. p.* 33.

(5) VON DER HARDT, *l. l. p.* 47.

(6) VON DER HARDT, *l. l. p.* 58 *sqq.*

in vicinam arcem, *Gottleben* dictam (1). Jam carceris molestiae et inimicorum immanitas, tum nuntius tristissimus de familiari suo HIERONYMO, item in carcerem conjecto (2), effecerunt, ut etiam animi quassati dolores vehementer augerentur. Quod testatur Epistola, hoc tempore ab eo scripta, in quâ in haec verba erumpit: *o utinam conspiceretis me duci ad ignem, potius quam sic dolose suffocari* (3)! HUSSI igitur conditione magis magisque in pejus mutatâ, Proceres mense Maji tertiam Epistolam, quâ HUSSUM in libertatem vindicandum esse postulant, Imperatori tradendam curant (4). Eorum exemplum alii Bohemi sequuntur, moleste quoque ferentes, se cum omnibus fere popularibus tam Constantiae quam alibi tanquam haereticos maximo contemtui haberi. Itaque tam in HUSSI gratiam, veriti etiam, ut in ejus rem recte inquireretur, quam sui ipsorum populariumque causâ, 14 Maji a. 1415 litteras ad Concilium mittunt, quibus una cum HUSSI liberatione expetunt, ut, qualis in Bohemiâ status Religionis sit, accurate investigetur (5). Cum autem Episcopus Luthomislensis in Concilio minus ad rem respondisset, primam Epistolam altera 18 ejusdem mensis insequitur (6). Ad quam siquidem non respondeatur, eam ultimo item Maji ex-

(1) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 7a *sq.* THEOBALD, *l. l. p.* 50. VON DER HARDT, *o. l. T. IV. P.* 3. *p.* 66.

(2) De sorte HIERONYMI vide HUSSI *Hist. et Monum. T. II. p.* 349a *sqq.*

(3) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 69a *Epist.* 35.

(4) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 76b *sq.* THEOBALD, *l. l. p.* 59 *sq.*

(5) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 7b. THEOBALD, *l. l. p.* 61 *sq.* VON DER HARDT, *l. l. p.* 188 *sq.*

(6) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 8a *sqq.* THEOBALD, *l. l. p.* 63 *sqq.* VON DER HARDT, *l. l. p.* 209 *sq.* 212 *sqq.*

excipit tertia (1). Hanc autem Bohemi, Constantiam profecti, ibi conscribunt, statim Concilio tradunt, eodemque etiam die, quo scripta est, alterum ejus exemplar, paucis adjectis verbis, Imperatori offerunt, quippe qui, cum Epistola in Concilio legebatur, nondum ei intererat. Quae omnia eo tandem valent, ut Patriarcha Antiochenus, nomine Concilii, Bohemis scripto spondeat, fore, *ut ad quintum Junii* JOANNES HUS *iterum Constantiam advehatur, et habeat coram ipso Concilio liberam dicendi potestatem, seque eum pie et benigne audituros esse* (2).

Interea MICHAEL DE CAUSIS longam confecerat accusationum seriem, quâ HUSSUM haereticum argueret (3). Il-

---

(1) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 10b *sqq.* THEOBALD, *l. l. p.* 66 *sqq.* VON DER HARDT, *l. l. p.* 287 *sqq.*

(2) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 11b. THEOBALD, *l. l. p.* 70. VON DER HARDT, *l. l. p.* 290.

(3) Vidd. hae accusationes in HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 6a *sqq.* Conff. item LENFANT, *Hist. du Conc. de Const. T. I. p.* 62 *sqq.* aliique. Paulo post etiam GERSON ex HUSSI libro *de Ecclesiâ* 19 articulos excerpserat, qui haereticum eum declararent. Vidd. HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 23a *sq.* — Etiam anno 1414, sed antequam HUSSUS Constantiam proficisceretur, varii testes, in quibus et MICHAEL DE CAUSIS erat, varias contra eum accusationes protulerant. Eorum testimonia una cum HUSSI defensione legenda praebet LEHMANN, in *scriptione* supra *laud.* (*p.* 15. *not.* 2.) *p.* 126 *sqq.* Desumta haec testimonia sunt e libro manuscripto, in Archi-Episcopi Pragensis Palatio nuperrime reperto, conscripto a PETRO MLADIENOWITZ, qui JOANNI DE CHLUM, strenuo illi HUSSI ejusque causae patrono, ab actis erat, et multa sane complectuntur, aliunde non haurienda. Disputationem jam conscripseram, typis mox excudendam, cum veni in illius scriptionis notitiam. Unde, tempore urgente, eam non satis e voto meos in usûs adhibere potui. Tamen, quantum fieri possit, hîc illîc etiam infra rationem ejus habebimus. — Accusationes priores, a

Illis accusationibus ad Pontificem delatis, hic Patriarchae Constantinopolitano, qui Constantiae aderat, Episcopo Castellae et Episcopo a Libuss eas examinandas mandat (1). A quibus HUSSUS rei certior factus, sed propter valetudinem ad causam suam agendam non idoneum se ipse comperiens, patronum sibi expetit. Quem tamen ei concedere nolunt, nefas dicentes, homini haeresis suspecto, aliquem patrocinari (2). Husso sensim e morbo refecto, triumviri delecti accusationes examinatas ad eum deferunt (3). Utrum vero illis respondendi facultas nunc ei data sit, non traditur. Sed HUSSI adversarios jam omni virium intentione in ejus perniciem conspirasse, variae probant Epistolae, hoc tempore ab eo scriptae (4). Neque in hoc rerum statu modo de se ipso sollicitus, scriptionibus, ut, *de Decalogo, de Oratione Dominicâ, de Peccato Mortali, de Matrimonio*, aliis (5), Religionis etiam causae consulere studet, placido animo interea rei suae exitum exspectans.

§. 5.

MICHAELE DE CAUSIS contra HUSSUM, antequam hic Constantiam venerat, editas, et aeque ac sequentes, de quibus in textu dicimus, ad Pontificem delatas, una cum HUSSI responsis et annotationibus vide in *script. laud. p.* 147 *sqq.* Quibusnam autem rerum momentis hae aliaeque accusationes maxime constiterint, nobis apparebit, ubi de causis, cur HUSSUS condemnatus sit, exponemus.

(1) HUSSI *Hist. et Monum T. I. p.* 7ª.

(2) HUSSI *Hist. et Monum. l. l.* Conf. GILPIN, *l. l. p.* 196 *sq.* Etiam jam antea, nempe 1 Decembris a. 1414, alii judices, qui in HUSSI doctrinas inquirerent, constituti erant. Vidd. VON DER HARDT, *o. l. T. IV. P.* 1. *p.* 23. *P.* 6. *p.* 385. Conf. et LENFANT, *Hist. du Conc. de Const. T. I. p.* 67.

(3) HUSSI *Hist. et Monum. l. l.*

(4) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 71ª *sqq.*

(5) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 29ᵇ *sqq.* coll. *p.* 7ª Comp. LENFANT, *l. l. p.* 64 *sqq.*

§. 5.

Hussus primâ et alterâ vice in Concilium ductus.

Hussi fautores, promissis datis freti, cupide in diem prospexerunt, quo ille ad causam publice dicendam in Concilium proditurus esset. Antequam autem ex arce Gottlebensi huc vocaretur, identidem varii articuli, ex ejus scriptis excerpti, ei propositi sunt, ut ipse eos improbaret: quod vero constanter recusavit (1). Constantiam translatus, in Monasterium Franciscanorum (ubi ad ultimum supplicium degit) abducitur (2). Eo autem Patriarchae, Cardinales, Episcopi multique alii Concilii Patres conveniunt (3), et varias hussi doctrinas, eo absente, condemnant. Quod cum petrus mladienowitz (4) intellexisset, injustam hanc agendi rationem wenceslao de duba ac joanni de chlum denuntiavit. Hi autem rem quam primum nuntiarunt sigismundo; qui Patres congregatos jussit, de husso nihil decernere, antequam hominem ipsum aequo audivissent animo, et ac-

---

(1) von der hardt, *o. l. T. IV. P.* 3 *p.* 296. Conff. hussi *Hist. et Monum. T. I. p.* 21[a]. et lenfant, *l. l. p.* 306 *sq.* Praeterea variis in Epistolis, v. c. *Epist.* 15, 48, 52. (*Hist. et Monum. T. I. p.* 62[a]. 72[b]. 74[a]) de interrogationibus privatis hussus mentionem ipse facit.

(2) von der hardt, *o, l. T. IV. P.* 4. *p.* 306.

(3) Conf. Diss. j. wernери *de* joh. hus *Martyre* etc. 2 Decembris anni 1672 Lipsiae defensa, Sect. I. § 13. not. *l.*

(4) Hic idem est, cujus Manuscriptum *p.* 44 *sq.* not. 3. memoravimus.

accusationes ipse cognovisset. Hoc igitur jussum eo valuit, ut HUSSUS coram Concilio, quod in Monasterio habebatur, statuto tempore, nempe 5 Junii, 1415, produceretur, ibique ejus causa, praesente Imperatore, tractaretur (1).

Hussus autem, postquam prodierat in Concilium, et scripta quaedam sibi proposita perlustraverat, palam declarabat, *se non modo horum auctorem esse scriptorum, sed et paratum, si quid inesset erroris, id emendare* (2). Sed cum unus ex iis articulus publice lectus et haereticus dictus erat, HUSSUM respondere volentem tota congregatorum multitudo clamoribus ita obruit, ut ne verbum quidem edere posset. Talem igitur tumultum indignatus, tacuit. Tum vero clamare coeperunt: *Tacet, jam tacet. Satis id quidem signi est, eum istis erroribus suis assentire.* Quibus HUSSUS animo commoto respondit: *equidem credidi majorem honestatem, bonitatem et disciplinam meliorem esse in hoc Concilio, atque est.* Conventus autem mittitur auctoritate virorum, qui nondum omnem aequi sensum exuerant (3). Hussus de primâ hac interrogatione ipse dicit: *Deus Omnipotens dedit mihi hodie cor animosum et forte. — — — Clamabant quasi omnes, quemadmodum Judaei adversus Jesum. — — O! si mihi daretur audientia, ut responderem argumentis ipsorum, quibus vellent impugnare articulos, in Tractatulis positos, aestimo, quod multi qui clamant, obmutescerent* (4).

Die

(1) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 12[a]. THEOBALD, *l. l. p.* 70 *sq.* WERNERI *Diss. laud. Sect. I.* § 18. VON DER HARDT, *l. l. p.* 306 *sq.*

(2) HUSSI *Hist. et Monum. et* VON DER HARDT, *ll. ll.*

(3) HUSSI *Hist. et Monum.* et VON DER HARDT, *ll. ll.*

(4) *Epist.* 3. in HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 69[a] *sq.*

Die constituto 7 Junii HUSSUS iterum coram Concilio se sistit, quod eodem in loco maximâ frequentiâ congregatum erat (1). Adest denuo SIGISMUNDUS, quem, ut optaverat HUSSUS, comitati sunt WENCESLAUS DE DUBA, JOANNES DE CHLUM et PETRUS MLADIENOWITZ (2). Haereses leguntur, quarum MICHAEL DE CAUSIS eum accusaverat. Primum igitur docuisse dicitur, *post consecrationem et pronuntiationem verborum in coenâ Domini manere panem materialem.* Quâ sententiâ se unquam fuisse, solemniter negat. Porro affertur, *eum pertinaciter articulos erroneos* WICLEFI *docuisse in Bohemiâ et defendisse.* Hussus excipit: se non omnes WICLEFI doctrinas a Concilio Romano condemnatas, haereticas habere. Sequuntur jam quaestiones: *habueritne* (HUSSUS) *absolutionem a Pontifice Romano; licueritne ad Christum provocare; an dixerit, se optare, ut anima sua in eodem loco, ubi anima* WICLEFI, *esset?* Earum primam negat, alteram et tertiam affirmat: quam affirmationem cachinnis excipit Concilium. Praeterea populum instigasse arguitur, *ut iis, qui adversarentur suae doctrinae, gladio resisteret, exemplo Mosis.* Hussus vero declarat, se monuisse populum, cum exponeret dictum Apostoli de galeâ salutis et gladio, ut hoc gladio se accingerent omnes, et defenderent Evangelicam veritatem, seque diserte dixisse, propter calumnias, non gladio utendum esse *materiali*, sed eo, qui est *Verbum Dei.* Denique inter alia ei objicitur, *ex*

LUTHERUS de hoc conventu dicit (vide GILPIN, *l. l. p.* 208): *Ibi omnes, aprorum more, fremere, setas a tergo erigere, frontem corrugare, dentesque acuere coeperunt.*

(1) SEYFRIED, *l. l. p.* 70 *sq.*

(2) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 12ª *sq.* Ibidem, *p.* 66ᵇ *Epist.* 29. Conf. ROYKO, *o. l. T. II. p.* 38 *sq.*

ex ejus doctrinâ multa scandala exorta esse, ita ut primum seminasset discordias inter Ecclesiasticum et Politicum statum, deinde Scholam quoque Pragensem per discordias dissolvisset (1). Utramque accusationem HUSSUS amovet, animadvertens, priores discordias inde natas esse, quod WENCESLAUS in Cardinalium partes discessisset, ut adeo neque Pontifici Romano GREGORIO, neque Avenionensi BENEDICTO adhaereret (2); posteriores deberi Bohemis, qui jura sua tuiti essent (3).

Finitâ disputatione, DE ALLIACO reprehendit HUSSUM, quod dixerit, neque Regem Bohemiae, neque Imperatorem facturum fuisse, ut Constantiam veniret, nisi ipse venire voluisset. Se ita dixisse HUSSUS professus est. Declaravit autem JOANNES DE CHLUM, se solum, quamvis viribus parum valeret, facile hoc effecturum fuisse, ut integrum per annum HUSSUM contra omnem vim defenderet. Tandem SIGISMUNDUS HUSSO dixit, incolumitatis litteras modo datas esse, ut libere dicendi ei potestas esset suâ de fide ac doctrinâ, et gratias agendas esse Cardinalibus, qui hanc ei facultatem concessissent; ceterum sibi non licere ei patrocinari, qui haeresis suspectus esset, seque porro monitum eum velle, ut Concilio se subjiceret. *Sin minus*, ita pergit, *facile habebunt praefecti Concilii, quod de te statuant. Nos quidem tuis erroribus et pertinaciae nunquam patrocinabimur. Imo nos hisce manibus ignem tibi parabimus potius, quam ut eâ, quâ hactenus, pertinaciâ te diutius uti patiamur.* Cui HUSSUS respondit: *Primum Clementiae Tuae, Rex Serenissi-*

(1) Vidd. HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 12b *sqq.* THEOBALD, *l. l. p.* 72 *sqq.*

(2) Cf. *p.* 23. *nota* 3.

(3) Cf. *p.* 23 *sqq.*

sime! de litteris publicae fidei ago gratias immortales. Deum ipsum testor, Imperator Clementissime! nunquam me in animum induxisse, ut nimis obstinate quidquam defendam, neque huc ultro venisse eo consilio, si quis melius aliquid me doceret, quod sine ullâ dubitatione meam sententiam mutare vellem. His dictis, HUSSUS denuo in carcerem abductus est (1).

§. 6.

Hussus postremum coram Concilio causam dicens, ejusque fata usque ad condemnationis diem.

Postridie (8 Junii) HUSSUS tertio in Concilium ductus est. Aderant et nunc SIGISMUNDUS, DE DUBA, DE CHLUM ac MLADIENOWITZ. Mox HUSSO 39 articuli, ex ejus scriptis confecti, scilicet 26 ex scriptione de Ecclesiâ, 7 ex libro contra STEPHANUM PALETZ, 6 ex libro contra STANISLAUM DE ZNOYMA (2), quo suam de iis declararet sententiam, propositi sunt. Haud ita multi eorum doctrinas spectabant Theoreticas, plerique potestatem ac mores Clericorum. Omnes autem, quotquot bonâ fide exhibiti erant, HUSSUS probavit, alios accuratius finivit, alios falsae verborum suorum interpretationi deberi monuit (3).

Prae-

---

(1) Uberius haec descripta sunt in HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 12^{b} *sqq.* Conff. porro VON DER HARDT, *l. l. p.* 308 *sqq.* THEOBALD, *l. l. p.* 71 *sqq.* LENFANT, *l. l. p.* 309 *sqq.* BOYKO, *l. l. p.* 39 *sqq.*

(2) SEYFRIED, *l. l. p.* 74 *sqq.*

(3) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 15^{a} *sqq.* ceterique auctores, ad finem § 5 citati.

Praeterea etiam lecti publice sunt articuli, jam antea ei, carceri Gottlebeniano incluso, vitio versi, aliique, a Franco-Gallis conflati (1). Quibus peractis, DE ALLIACO aliique Concilii Patres eum adhortati sunt, ut Concilio se submitteret. Respondit vir intrepidus, se libenter is obtemperaturum esse, dummodo, quae revera se docuisse professus erat, minus recte se habere, eaque haeresin continere demonstarent. Attendens autem DE ALLIACO ad ultimam responsionis partem, excepit: *Quando igitur informationi et gratiae ipsius Concilii te subjicis, hoc a Doctoribus fere sexaginta — — — decretum, et a toto Concilio approbatum est, primum, ut supplici animo te in istis articulis, qui contra te allati sunt, errasse confitearis; deinde, ut jurejurando promittas, nihil istorum te amplius sentire, aut docere velle; postremo, ut publice omnes illos articulos recantes.* HUSSUS autem respondit, se abjurare non posse quae nunquam protulerat. Ad haec Imperator, unumquemque, inquit, abjurare posse errores, etsi nunquam errasset. Ita vero verbum *abjurare* alio usurpari sensu animadvertit HUSSUS (2).

Accusationibus allatis aliae deinde additae sunt, de quibus nova disputatio instituta est. Et PALETZ quidem novem protulit articulos, quibus HUSSUS doctrinam WICLEFI defendisset (3). Disputatione autem habitâ, PALETZ et DE CAUSIS, rem ad finem perductam esse putantes, vel

(1) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 21ª *sqq.*

(2) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 24.ª*sq.*

(3) Articuli ipsi non exstant; desumti vero videntur e scriptis, quae habentur in HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 105ª, 108ª, 111ª. Conf. *p.* [illegible] aliis, imprimis LENFANT, *Hist. du Conc. de Const. T. I. p.* 327 *sqq.*

vel potius eam finire cupientes, declararunt, se contra HUSSUM non nisi ex officio egisse. *At ego, inquit* HUSSUS, *coelesti judici haec omnia commendo, qui juste utriusque partis causam judicabit.* Quo dicto, jussu PETRI DE ALLIACO in carcerem rursus abductus est; quorsus eum] comitatur DE CHLUM, qui, manu ei porrectâ, amici animum refecit mirifice. (1) De hac re HUSSUS ipse scribit: *O quam grata fuit manûs porrectio Domini* JOANNIS, *qui non est verecundatus mihi misero manum porrigere, tam abjecto haeretico et inferrato, et quasi ab omnibus inclamato* (2).

Husso absente, SIGISMUNDUS iniquissimam in eum dixit sententiam; nempe, nisi errores revocaret, eum ad rogum damnandum, si vero revocaret, vel sic tamen munere demovendum et in exsilium mittendum esse. Quonam consilio Imperator haec enunciaverit, dirimi nequit; sed quomodocunque accipiantur, neutiquam certe SIGISMUNDO in honorem cedunt (2).

Postridie jam revocandi formula HUSSO tradita est. Composita erat ab JOANNE, Episcopo Cardinali Ostiensi, et ita quidem, ut facile videretur ei subscribere. Quod tamen constanter recusavit vir candidus. *Non audeo,* inquit, *me, juxta tenorem exhibitum, Concilio submittere; tum quia oporteat, me veritates multas condemnare, quas (ut ex ipsis audivi) vocant scandalosas, tum quia oporteret, me perjurium incidere ex abjuratione, confitendo me errores tenuisse, ex quibus valde scan-*

(1) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 25ª. THEOBALD, *l. l. p.* 89 *sq.*

(2) *Epist.* 33. in HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 68ª *sq.*

(3) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 25ᵇ. Conf. HUSSENS *Leben, l. l. p.* 238 *sqq.* Ad Imperatoris dicta respicere videtur HUSSUS *Epist.* 34. in *Hist. et Monum. T. I. p.* 68ᵇ *sq.*

scandalizarem populum Dei, qui a me in praedicatione audivit contrarium. Etiamnunc JOANNES scrupulum ei eximere studet; sed frustra (1). Et quanquam postea frequenter injectum ei est sese submittendi periculum, omnes tamen conatûs eo tantum valuerunt, ut magis magisque anîmi sui firmitatem ostenderet (2). Sic venit cum aliis ad eum aliquando PALETZ, eique suasit, ut abjurandi verbo non amplius offenderetur, sed bonum animadverteret, quod ex revocatione redundaturum esset. Ad quae HUSSUS: *Dicatis mihi consilium vestrum. Quid vos velletis facere, quando certo sciretis, quod non tenuistis errores adscriptos vobis. Velletisne abjurare?* PALETZ respondit: *grave est;* et flere coepit (3).

Incassum tentatis et minis et verborum lenociniis, Concilii Patres scriptis HUSSI condemnandis (4) ejus ani-

(1) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 70a *sq.* et VON DER HARDT, *o. l. T. IV. P.* 4. *p.* 329 *sq.* Quibuscum conveniunt BOYKO, SCHROECKH, alii. LENFANT contra statuit (*l. l. p.* 341 *sqq.*), revocandi formulam HUSSO non a JOANNE, *Cardinali Ostiensi* traditam fuisse, sed a *Magistro* quodam JOANNE, *Cardinalis* nomine dicto, atque hunc HUSSI appellat fautorem, propter librum, quem *de communione sub utrâque specie* conscripserit (HUSSI *Hist. et Monum. T. II. p.* 364a *sq.*). Cui sententiae tamen assentire non audeo, cum alias ob causas, tum quia minus perspicitur, quânam auctoritate ille M. JOANNES *Cardinalis* revocandi formulam HUSSO tradiderit, plane diversam ab eâ, quam DE ALLIACO die praecedenti ei proposuerat. v. *p.* 51.

(2) VON DER HARDT, *o. l. T. IV. P.* 4. *p.* 330. *P.* 5. *p.* 342 *sqq.* LENFANT, *l. l. p.* 345 *sq.*

(3) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 66b *sq.* LENFANT, *l. l. p.* 379 *sq.*

(4) Factum hoc est 24 Junii. Cff. VON DER HARDT, *o. l. T. IV. P.* 5. *p.* 343. et LENFANT, *l. l. p.* 380.

animum frangere student. Quod quam parum asseeuti sint, ex iis apparet, quae de hac condemnatione amicis ipse scripsit: *Monendos*, inquit, *vos esse duxi, ne paveatis, neve terreamini, eo quod adversarii libros meos comburendos decreverint. Sitis memores, quomodo* JEREMIAE *Profetae conciones combusserint Israëlitae, non tamen, quod in iis prophetatum erat, evitaverint* etc. (1).

HUSSUS interea perspiciens, mortem sibi instare, quod jam saepe amicis significaverat (2), petivit sacerdotem, cui postremum peccata sua confiteretur. Cui petitioni morem gerentes, miserunt ei Doctorem quendam Monachum, cui confessus est, et *qui pie et valde pulchre eum audivit, absolvit, et suasit, sed non injunxit* (nempe ut a doctrinis desisteret), *sicut et alii suadebant* (3). E falso narrat SEYFRIED (4), HUSSUM confessum esse PALETZIO. Cupiverat quidem praecipuo huic adversario confiteri (5); fortasse ut et homini illi declarare posset, se omnia ei condonare, et simul inde appareret, se nihil habere, quod ei confiteretur, nisi quod omnibus scire liceret. Sed hoc ejus desiderium non expletum est.

Primo Julii Patres Constantienses ad HUSSUM miserunt legatos, qui eum rursus ad errores suos revocandos sollicitarent. Restitit vero HUSSUS, scriptione traditâ, quae, perseverantiae causas continens, eximium immotae ejus constantiae monumentum jure meritoque habetur (6). — Pri-

(1) VON DER HARDT et LENFANT, *ll. ll.*

(2) Conf. v. c. VON DER HARDT, *o. l. T. IV. P. 4. p.* 330 *sq.*

(3) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 67b.

(4) *l. l. p.* 83.

(5) HUSSI *Hist. et Monum. l. l.*

(6) VON DER HARDT, *o. l. T. IV. P. 5. p.* 345. *P. 6. p.* 386.

Pridie denique quam HUSSUS condemnaretur, SIGISMUNDUS quatuor Episcopis, et simul WENCESLAO DE DUBA ac JOANNI DE CHLUM praecepit, ut inquirerent, quid HUSSUS, post tot invitationes, facere decrevisset. Utrique hic declaravit, se et nunc ad sententiam mutandam paratum esse, si secundum Scripturam S. meliora doceretur (1).

Summa autem animi fortitudo, cum pari tranquillitate juncta, quâ HUSSUS haec omnia pertulit, optime ex Epistolis, quas eo tempore scripsit, cognoscitur (2). Quarum duas hic partim afferre libet. Altera postremam ejus continet declarationem de opinatis erroribus, quos Concilium volebat, ut revocaret: *Haec omnia*, ait, *postulavit a me Concilium saepius. Sed quia illa implicant, ut revocem, abjurem et poenitentiam suscipiam, in quibus oportet me a multis veritatibus recedere — — — deberem mendacia multa et perjurium incidere, et multos Dei filios scandalizare. Absit, absit a me, quia Christus Dominus abundantissime remunerabit me, dans auxilium patientiae in praesenti* (3). Alterâ, ad amicos scriptâ, gratias agit pro beneficiis in se collatis, illis haec exoptans: *Deus sit vobiscum, et largiatur vobis omnia felicia propter tanta in me collata beneficia. Nolite committere, ut propter me, secundum carnem mortuum, Dominus* JOANNES, *fidelis et constans eques auratus, et summus ami-*

(1) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 25b. *T. II. p.* 344b.

(2) HUSSI *Hist. et Monum.* omnes has epistolas complectuntur. Separatim in lucem prodierunt, edente LUTHERO, Vitebergae 1537. Plures reperiuntur apud SEYFRIEDUM et VON DER HARDT; item, in sermonem vernaculum redditae, apud THEOBALDUM, LENFANT, ROYKO, alios.

(3) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 70b. *Epist.* 41.

amicus meus, veniat in periculum. Hoc propter Deum rogo, mi domine PETRE (significat PETRUM DE MLADIENOWITZ)! *Rogo denique, ut secundum Verbum Dei vivatis, Deo praeceptisque ejus obediatis, quemadmodum vos docui. Regiae Majestati agite gratias pro omnibus beneficiis, quae in me contulit. Familiam vestram, caeterosque amicos, quos enumerare jam non queo, meis verbis salutate. Ego pro vobis, vos pro me Deum rogate, ad quem promiscue omnes, ipso auxilium nobis ferente, veniemus. Amen* (1).

§. 7.

Hussus condemnatus et ultimo supplicio affectus.

Sessio Concilii decima quinta, die 6 Julii habita, HUSSO fatalis fuit. Scilicet Archi-Episcopus Rigensis multo mane e carcere in templum magnum Constantiense eum deduxit; ubi Concilium admodum frequens congregatum erat, praesente Imperatore SIGISMUNDO, Praeside JOANNE Ostiensi. Celebratâ missâ, et HUSSO in Concilium introducto, JACOBUS, Episcopus Laudensis (2), pro concione dicit de effato PAULI: *destruatur corpus peccati* (Rom. VI: 6). Quâ in oratione inter alia his verbis ad Imperatorem se convertit: *Destruas haereses et errores, et*

---

(1) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 65ª *sq. Epist.* 24.

(2) Dicitur cum *Laudensis* tum *Lodensis*, ab Episcopi sede *Laudâ* seu *Lodâ*, Italis *Lodi*, quae urbs est Lombardiae Transpadanae ad *Adduam* fluvium sita. Vid. P. CLUVERIUS, *l. l. p.* 359 *not.* Male SEYFRIED, *l. l. p.* 3. habet *Londinensis*.

et praecipue hunc haereticum obstinatum, cujus malignitate plura mundi loca peste haereticâ sunt infecta, et ejus occasione destructa. Sacer hic labor tibi, Princeps gloriose! relictus est. Tibi incumbit, cui datus est justitiae principatus. Unde ex ore infantium et lactantium perfecisti laudem, et tibi laudes celebrantur perpetuae, ut tantos fidei inimicos et ultores destruas etc (1). — Oratione habitâ, silentii decretum ab Episcopo Concordiensi, Italorum legato, legitur, et probatur a Concilio. Deinde omnes, qui adsunt, spondent, se Sessionem hanc nec perturbatione, neque alio modo impedituros esse (2).

Mox nova lecta est errorum series, qui WICLEFO tribuebantur, singulique, quibus constabat, articuli condemnati sunt (3). Deinde proceditur ad errores HUSSO imputatos (4), quorum plerique antea etiam ei objecti erant. Jam his aliisque accusationibus cum HUSSUS singulatim respondere vellet, PETRUS DE ALLIACO, et ZABABELLÂ, Episcopus Florentinus, silentium ei imposuerunt. Ille autem, in genua prolapsus, oculis in coelum defixis, manûs eodem tetendit, suamque causam Deo commisit. Auditis accusationibus ex ejus scriptis excerptis, propositae etiam sunt, quas testes quidam ferebant eum ore protulisse. Ita aliquis Doctor eum quartam in Deitatem personam

---

(1) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 26b *sq.* VON DER HARDT, *o. l. T. III. P.* 1. *p.* 1 *sqq.*

(2) MANSI, *o. l. T. XXVII. p.* 747 *sq.* VON DER HARDT, *o. l. T. IV. P.* 6. *p.* 399 *sq.*

(3) MANSI, *o. l. p.* 748 *sqq.* VON DER HARDT, *l. l.* Conf. LENFANT, *Hist. du Conc. de Const. T. I. p.* 396 *sqq.*

(4) MANSI, *o. l. p.* 754 *sqq.* VON DER HARDT, *l. l. p.* 407 *sqq.*

nam induxisse testatus est (1). Tum vitio ei versum, quod Pontificis Maximi *excommunicationem* spreverat. Hussus, *minime vero*, inquit, *aspernatus sum, sed publice ad judicem provocavi. Praeterea ter ad Papam misi, qui meo nomine respondere debebant (gravibus enim de causis ipse comparere non potui), qui, quod satis notum est, indignis modis excepti sunt. Quidam in carceres conjecti, quidam non auditi, quidam aliis modis vexati fuerunt. Ideoque satis tempestive sub fide publicâ Romani Imperatoris, qui hic adest, ad hoc Concilium veni, bonâ spe fretus, numquam fore, ut ulla hac in parte mihi fieret injuria, sed ut saltem meam innocentiam ostenderem* (2). Quo dicto, Imperator vehementer erubuit (3). Denique scriptio HUSSI, primo Julii Concilio tradita, quâ errores sibi objectos abjurare recusaverat, lecta est, et ab eo ore confirmata (4).

His peractis, Episcopus Concordiensis sententiam, in HUSSUM ejusque libros ferendam, recitavit (5). Quam totum probavit Concilium. Hussus, etsi silentium ei impositum erat, tamen a sententiae lectione aliquoties in-

(1) Nominibus testium in hac causâ occultatis, munera eorum tantum memorantur. Conf. THEOBALD, *l. l. p.* 107.

(2) THEOBALD, *l. l. p.* 49 interpretationis Latinae.

(3) Huc respexisse traditur CAROLUS V, LUTHERI adversariis, qui illum instigabant, ut fidem, viro intrepido datam, frangeret, in Comitiis Wormatiensibus respondens: *Nolo cum* SIGISMUNDO, *antecessore meo, erubescere.* Conf. M. A. B. ZURN, JOHANN HUSS *auf dem Concilio zu Costnitz* (Lipsiae, 1836). *p.* 78 *not.*

(4) MANSI, *o. l. T. XXVII. p.*764. VON DER HARDT, *o. l. T. IV. P.* 5. *p.* 345. *P.* 7. *p.* 389.

(5) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 27ª *sq.* MANSI, *l. l. p.* 752 *sq.* Vidd. item VON DER HARDT, LENFANT, SEYFRIED, alii.

interrumpendâ temperare non potuit Sic, cum pertinax appellabatur haereticus, clarâ voce dixit: *Ego id pernego. Semper enim desideravi et etiamnum desidero firmiore Scripturâ doceri: ac utinam vel unum sacrae Scripturae verbulum mihi hodie daretur, quod omnes hos errores sublatum et convictum posset!* Lectione finitâ, in genua procumbens, precabatur: *Domine Jesu Christe! ignosce inimicis meis* etc. Quapropter Episcopi eum ludibrio habere non veriti sunt (1).

Episcopi, quibus HUSSI profanandi cura mandata est (2), eum vestes sacerdotales sibi induere jubent. Tum, calice ei porrecto, rogant: num adhuc a placitis haereticis desistere, et doctrinam, quam tradiderat, impiam declarare velit? Hussus vero, ad populum, qui adest, se convertens, profitetur, se neutiquam revocare posse; iisdem rationibus repetitis, quas supra attulimus. Itaque Episcopi, ad eum accedentes, calicem ei adimunt, omnique vestimento sacro, interea dira quaevis ei imprecantes, eum exuunt. Deinde, capillis ad crucis figuram tonsis, cucullum, ex chartâ confectum et pyramidis formam referentem, in quo Daemones tres horrendi cum inscriptione: ISTE EST HAERESIARCHA depicti sunt, ejus capiti imponunt, dicentes: *nos commendamus animam tuam Diabolo. Ast ego*, inquit HUSSUS, *commendo animam meam benignissimo Domino Jesu Christo, meo unico Salvatori.* Postremum ad Im-

Apud VON DER HARDT, (*o. l. T. IV. P.* 6. *p.* 431 *sqq.*) etiam reperitur desumta ex Codice quodam Lipsiensi M. S. sententia, contra HUSSUM ferenda, si errores revocasset.

(1) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 28[a]. *T. II. p.* 346[a]. THEOBALD, *l. l. p.* 108 *sq.* ZURN, *l. l. p.* 80.

(2) VON DER HARDT, *l. l. p.* 433 *sq.* SEYFRIED, *l. l. p.* 103 *sq.*

Imperatorem solemnibus his verbis se convertunt: *Haec Sacrosancta Synodus Constantiensis* JOANNEM HUSSUM, *qui jam in Ecclesiâ Dei nihil magis habet officii et negotii, judicio et potestati civili relinquit* (1). Interea CASPARUS SCHLICK, vir variis nominibus clarus, e templo egreditur, palam professus, *se tam praecipiti sententiae ferendae bonâ conscientiâ adesse non posse* (2).

Jam Imperator LUDOVICO, Bavariae Duci, mandat, ut HUSSUS lictoribus tradatur et haereticorum supplicio afficiatur. Ita HUSSUS ducitur ad rogum, permagnâ eum comitante militum (3) aliorumque hominum turbâ. Quo cum tenderet, ac libros suos flammis traditos conspiceret, subrisit, comitantibus dicens, se non condemnatum esse ob aliquam haeresin, sed adversariorum malevolentiâ, *qui mihi*, ait, *doctrinas attribuerunt, quas numquam protuli nec pro meis habui.* Cum autem pervenerat ad supplicii locum, qui prope portam Gottlebenianam erat, Deum Jesumque identidem invocavit et inter alia etiam haec precatus est: *Domine Jesu Christe! adsis mihi, ut hanc crudelem et ignominiosam mortem, ad quam propter sancti Evangelii praedicationem damnatus sum, te juvante, forti et constanti animo feram* (4). Saepe quo-

---

(1) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 28[a] *sq. T. II. p.* 346[a] *sq.* alii.

(2) THEOBALD, *l. l. p.* 50. interpretationis Latinae; SEYFRIED, *l. l. p.* 102. *Abrégé de l'Hist.* etc. *l. l. p.* 209. Conf. ROYKO, *o. l. T. II. p.* 290 *sq.* et imprimis PFISTER, *l. l. T. III. p.* 461.

(3) De numero militum non conveniunt historici. Comparentur inter se v. c. SEYFRIED, *l. l. p.* 105 LENFANT, *Hist. du Conc. de Const. T. I. p.* 410. et MUNTING, *script. laud. p.* 564.

(4) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 29[a].

quoque verba repetivit: *in manûs tuas, Domine! commendo spiritum meum. Tu eum redemisti, optime et fidelissime Deus!* Sic religionis vi patientissimus, nullo angebatur mortis metu, sed intrepide rogum adscendebat (1), suis etiam custodibus valedicens et gratias agens. Ipsum autem supplicium dirissimum ita subiit, ut populus adstans diceret: *quid antea fecerit, nescimus. Nunc autem videmus et audimus, eum sancte et orare et loqui* (2).

Antequam autem ligna accendebantur, LUDOVICUS, et Magister equitum, *Marschalcus Imperii* vulgo dictus, HUSSUM, ut vitae causâ doctrinas suas revocaret, adhuc permovere studebant (3). Ille vero, oculis ad coelum sublatis, dixit: *ea, quibus me falso testimonio onerarunt, nunquam a me docente proposita, nec scripta, sed omnes meas conciones, institutiones, atque omnia scripta mea eo a me directa fuisse, ut homines, peccatis a Deo aversos in regnum suum adducerem, ipsum testem cito. Eam veritatem, quam concionatus docui, scriptisque propagavi, ut quae cum Verbo Dei consentit, tuebor, atque morte meâ obsignabo* (4). Ita autem sentiens, mediis etiam in flammis, quantum poterat, Dei Christique celebravit laudes. Corpore denique combusto, cineres in Rhenum projecerunt, ne tenuissi-

---

(1) AENEAS SYLVIUS ipse scribit, *Hist. Bohem. Cap.* 36 *p.* 105. *Pertulerunt ambo* (HUSSUS nempe et HIERONYMUS) *constanti animo necem, et quasi ad epulas invitati, ad incendium properarunt, nullam emittentes vocem, quae miseri animi posset facere indicium.*

(2) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 28b. Conf. ZUBE, *l. l. p.* 84 *sqq.*

(3) THEOBALD, *l. l. p.* 113. SEYFRIED, *l. l. p.* 108.

(4) THEOBALD, *l. l. p.* 51. interpretationis Latinae.

sima quoque pars istius viri superesset in terra (1), vel, ut AENEAS SYLVIUS dicit (2), *ne raperentur a Bohemis*, hoc est, ne Bohemi, in Doctoris dilectissimi memoriam, eas sibi vindicarent.

Non ineptum videtur, hîc verbo dicere de narratione pervulgatâ, ferente, HUSSUM brevi ante mortem de LUTHERO haec vaticinatum esse: *Hodie* anserem (Bohemis *hus*) *uritis, sed ex meis cineribus nascetur* Cygnus, *quem non assare poteritis* (3). Cui narrationi quo minus fidem habeamus, multa obstant. Exhibet quidem hoc dictum aliquis nummus (4); sed ut ille aetatis serioris videtur (de ipso quidem tempore, quo cusus sit, non constat), ita nec ante Sacra saeculo XVI emendata ulli historici, neque post ea antiquissimus vitae HUSSI, anno 1537 primum editae, scriptor, ejus mentionem faciunt (5). Si in narrationis originem inquirimus, ea partim ex Epistolâ HUSSI oriri potuit, in quâ haec habet: *Prius laqueos, citationes et anathemata* anseri (*hus*) *paraverunt, et jam nonnullis ex vobis insidiantur. Sed quia* an-

(1) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 29[a].

(2) *l. l. Cap.* 36. *p.* 105.

(3) Reperitur haec vaticinatio in LUTHERI *Opp. T. V Altenb.* (citante SEYFRIEDO, *l. l. p.* 110), *p.* 599*: Der seelige* JOHANNES HUSS *hat vor mir geweissaget, da er aus der Gefängniss in Böhmer-Land schrieb: Sie werden itz eine Ganss braten, aber über Hundert Jahre werden sie einen Schwan singen hören, den sollen sie leiden u. s. w.* Vide et J. J. BECK, Wünspergensis Ecclesiae Stutgardianae Collegiatae Diaconus, in libro: *Lutherthumb vor dem* LUTHER *p.* 144. et conf. ROYKO, *o. l. T. II. p.* 297. *litt. qqq.*

(4) KÖLERS *histor. Münzbelustig. T. VII. p.* 41 *sq.* LENFANT, *Hist. du Conc. de Const. T. I. p.* 29 *sq.*

(5) Quae narratio exstat in HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 1 *ad* 29. *et p.* 86[a]. *ad* 86[b].

anser *animal cicur, avis domestica, suprema volatu suo non pertingens, eorum laqueos* (non) *rupit, nihilominus aliae aves, quae, Verbo Dei et vitâ, volatu suo alta petunt, eorum insidias conterent* (1); partim ex HIERONYMI *Pragensis* dicto, qui, mortis supplicio sibi jamjam instante, adversarios sic allocutus est: *Vobis certum est, me inique et maligne condemnare, nullâ noxâ etiamnum inventâ. Ego vero post fata mea vestris conscientiis stimulum infigo et morsum, ac appello ad celsissimum simul et aequissimum judicem Deum omnipotentem,* ut coram eo, centum annis revolutis, respondeatis mihi (2).

---

(1) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 96b. Conff. *p.* 61b. 67a. 72b. etc.

(2) HUSSI *Hist. et Monum. T. II. p.* 357a. Compp. porro THEOBALD, *l. l. p.* 126. MANSO in Diss., *an vere de M.* LUTHERO *vaticinatus sit* JO. HUSS., in ejus *vermischte Abhandlungen und Aufsätsen, p.* 157 *sqq.*

PARS POSTERIOR.

DE CAUSIS, QUIBUS HUSSI CONDEMNATIO TRIBUENDA SIT.

Praemonenda.

Patres Constantienses HUSSUM ad rogum damnasse, historice exposuimus. Quae condemnatio, utrum reverâ justa an injusta appellari debeat, nemo facile, nisi qui praejudicatis imbutus sit opinionibus, in dubium vocaverit. Interea mirandum est, virum, Ecclesiae instaurandae cupidum, propter liberaliores, quas de auctoritate ac disciplinâ Clericorum protulerat, sententias, haeresis accusatum, et ultimo supplicio dignum declaratum fuisse ab illis, qui, eâdem cupidine incensi, in unum ipsi convenerant, ut Pontifices, de summo Ecclesiae imperio tenendo inter se contendentes, judicio suo subjicerent, atque Ecclesiam, turpissimis vitiis infectam, emendarent. Quaeritur igitur merito, quasnam ob causas HUSSUS ad mortem condemnatus fuerit. Ad quam quaestionem saepius propositam, nondum ita reponsum esse videtur, ut ei omnino satisfactum sit. Sic LENFANT (1) duas tantum causas excitat, quarum alteram in eo positam fuisse opi-

(1) *Hist. du Conc. de Const. T. I. p.* 426 *sq.* Conf. SCHROECKH, *o. l. T. XXXIV. p.* 650 *sq.*

alteram in eo positam fuisse opinatur, quod HUSSUS sententiae, in WICLEFUM latae, subscribere noluerit; alteram in eo, quod Bohemiae variis modis tumultum injecerit. Plures quidem ac graviores etiam attulerunt VENEMA (1), MOSHEMIUS (2), alii. Quorum studia sane ad rem illustrandam judiciumque nostrum de eâ regendum plurimum contulisse libenter et grato animo fatemur, non tamen ad quaestionem per omnes partes excutiendam ita valuisse putamus, ut ulterior quaedam disquisitio plane supervacanea habenda sit. Talis igitur disquisitionis periculum alterâ hac Disputationis parte jam suscipimus, sic, quoad ejus per virium tenuitatem a nobis fieri possit, dicturi *de causis, cur* HUSSUS *a Concilio Constantiensi condemnatus sit.*

Quo in argumento tractando ita versabimur, ut *primum* causas recenseamus, quae in sententiâ, a Concilio in HUSSUM latâ, memorantur; *deinde* aliquas afferamus, aliunde petitas.

CA-

(1) *Institutiones Historiae Ecclesiae* etc. *T. VI. p.* 515.

(2) *l. l. p.* 616 *sq. lit. a*, ed. Belg. *T. V. p.* 402 *sqq.* Conf. SCHROECKH, *l. l. p.* 651.

CAPUT I.

CAUSAE, QUAE IN SENTENTIA, A CONCILIO IN HUSSUM LATA, MEMORANTUR.

---

§. 1.

Hussi propensio in Wiclefi doctrinas.

Causae, quae in sententiâ, a Patribus Constantiensibus in HUSSUM latâ, memorantur, ad duas principes tandem redeunt: quarum *altera* pertinet ad propensum HUSSI in WICLEFI doctrinas animum; *altera* pertinacem eum et inemendabilem pronuntiat haereticum. Utramque autem ita excutiemus, ut simul inquiramus, an et quatenus Concilium in HUSSO propter tales causas condemnando sibi ipsi constiterit. De causâ priore, quam paucis comprehendere possumus, hac § dicemus, uberiorem vero tractationem sibi postulabit posterior, § § sequentibus exponenda.

Incipit ergo decretum, quo Concilium Constantiense HUSSUM damnavit (1), ab approbandâ sententiâ, a Concilio Romano in WICLEFUM ejusque libros latâ (2). Inde ad HUSSI causam proceditur, ut prius adeo, quod ei imputatur, crimen his contineatur verbis: JOHANNES HUSS, — *non Christi, sed* JOHANNIS WICLEFF, *Haeresiarchae, discipulus, post et contra damnationem et decretum*

---

(1) Vid. hoc decretum apud MANSI, *o. l. T. XXVII. p.* 752 *sq.* et SEYFRIED, *l. l. p.* 99 *sqq.*

(2) Vid. supra *p.* 31.

tum praedictum, ausu temerario contraveniens, errores ejus plures, et haereses, jam ab Ecclesiâ Dei, et etiam a certis olim reverendis in Christo Patribus, Dominis, Archi-Episcopis, Episcopis diversorum regnorum, et Magistris in Theologiâ plurium studiorum, condemnatos, dogmatizavit, asseruit et praedicavit, praesertim damnationi Scholasticae, ipsorum articulorum JOHANNIS WICLEFF *factae, pluries in Universitate Pragensi, cum suis complicibus, in scholis et in praedicationibus publice resistendo; ac ipsum* JOHANNEM WICLEFF *virum Catholicum et Doctorem Evangelicum, in favorem ejus doctrinae, coram multitudine Cleri ac populi declaravit.* — Igitur tribus ei modis tribuitur propensio in WICLEFI doctrinas. De quâ accusatione tripartitâ ut recte dicamus, singulae ejus partes deinceps considerandae sunt.

Primum igitur HUSSO culpae vertitur, quod *articulos* WICLEFI, *ab Ecclesiâ — — — condemnatos, dogmatizaverit* i. e. aeque ac si recepta doctrinae Catholicae dogmata essent, probaverit. — Et profecto, eâdem accusatione a Concilio jam 7 Junii a. 1415 HUSSO propositâ, palam hic declaraverat, se non omnes WICLEFI doctrinas, quas damnaverat Ecclesia, dicere et habere haereticas (1). Sed jam hoc ipsum non principem Concilio praebere potuit condemnationis causam. Nam declarationi suae statim HUSSUS addiderat, se paratum esse illis etiam, quas nondum habebat haereticas, doctrinis renuntiare, simulac, quae iis inesset haeresis, e Scripturae S. effatis Patres congregati indicassent (2). Inde enim

(1) Vid. supra, *p.* 48.

(2) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 13b. Vid. et supra *p.* 22, not. 3. *p.* 50 *sq.*

enim nec non ex aliis HUSSI dictis, publice prolatis (1), hi satis superque colligere poterant, eum neutiquam absolutum et obstinatum WICLEFI esse sectatorem. Praeterea cum eo non conveniebat de doctrinis, majoris momenti habitis, ut de Coenâ S., aliis. Si vero calculum adjecit illius sententiae de Pontifice et Clericis ac de Ecclesiae emendandae necessitate, profecto non erat, cur Patres congregati, similia sentientes et eadem molientes, haec HUSSO exprobrarent et vitio verterent. Hactenus igitur HUSSI consensus cum WICLEFO aegrius in praecipuis causis esse potuit, cur eum condemnaret Concilium.

Sed magis etiam malam in partem HUSSO tribuitur, quod *condemnationi Scholasticae, ipsorum articulorum* JOHANNIS WICLEFF *factae, pluries in Universitate Pragensi, cum suis complicibus, in scholis et in praedicationibus publice restiterit*. Et certe nec hoc negandum est. Nam quemadmodum HUSSUS, institutâ in eum, 7 Junii a. 1415, inquisitione publicâ (2), ita jam antea quoque declaraverat (3), se neutiquam condemnationi illi adsentire. Sed nihilominus minime obtemperare recusaverat SBINCONI, initio mensis Junii a. 1410. jubenti, ut omnes WICLEFI libri sibi afferrentur (4); contra vero illos, quos ipse habebat, ei tradiderat (5). Libris autem Angli celeberrimi mense Julii (quod

(1) HUSSI *Hist. et Monum. l. l.* — Non licet hic ad HUSSI scripta provocare, quorum quae Patribus congregatis cognita fuerint nec ne, haud constat; neque etiam ad ejus dicta, in inquisitionibus et collocutionibus privatis prolata: nam haec quoque saltem non in omnium, qui intererant Concilio, notitiam venerant.

(2) HUSSI *Hist. et Monum T. I. p.* 13ᵃ *sq.*

(3) Vid. supra *p.* 21 *sqq.* (4) *Ibidem*, *p.* 27.

(5) Vidd. HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 13ᵇ et GILPIN, *l. l. p.* 167.

(quod jam aliquamdiu ante SBYNCO voluerat) igne consumtis, HUSSUS praecipue tantum vituperaverat, eos, nullâ eorum censurâ veri nominis actâ, combustos esse: quod Pontificem nequaquam voluisse censebat (1). Igitur haec saltem vituperatio non eo valere debuerat, ut HUSSUS damnaretur. Nam et alii fuerant, qui similia agerent. Ita e. g. Schola Pragensis a. 1403 varias quidem doctrinas WICLEFI condemnaverat (2); quod tamen non impedivit, quominus deinde libris ejus comburendis decreto solemni se opponeret (3). Quin etiam postquam viri eximii scripta a. 1412 a Concilio Romano damnata erant, Theologi Pragenses nihilominus defensionem quorundam articulorum JOHANNIS WICLEFF ediderant. (4) Similiter a 1410 statuerant Theologi Bononienses, *quod libri* WICLEFI *non debeant comburi per Dominum Sbynconem* (5). Atque res illas ita gestas fuisse, certe Patribus Constantiensibus neutiquam latebat. Nam de Scholae Pragensis decreto HUSSUS in Concilio mentionem ipse fecit (6). Theologi Bononienses, ex auctoritate Cardinalium, quibus JOANNES XXIII causam quoque HUSSI examinandam mandaverat (7), inquisitionem in libros WICLEFI instituerant (8); quapropter illorum sententia saltem ordinis superioris Clericis, qui Concilio intererant, cognita esse debuit. Praeterea Scholae tam Pragensis quam Bononiensis le-

(1) HUSSI *Hist. et Monum. l. l.*

(2) Vid. supra. *p.* 20.

(3) *Ibidem*, *p.* 28.

(4) *Ibidem*, *p.* 31.

(5) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 86b.

(6) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 13b.

(7) Vide supra. *p.* 28.

(8) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 86a *sq.*

legatos in Concilio praesentes adfuisse constat; a quibus proinde Patres Congregati utriusque Scholae acta accurate cognoscere poterant.

Denique HUSSO objicitur, quod JOHANNEM WICLEFF *virum catholicum et doctorem evangelicum — — declaraverit.* Cui accusationi ille respondit: *Spero* JOANNEM WICLEFF *salvum esse. Quanquam autem vereor etiam ne sit damnatus, tamen in spe vellem, meam animam ibidem, ubi* JOHANNIS WICLEFF, *esse* (1). Quod votum utique in malam partem converti ei poterat, sic facile viso refragari Ecclesiae, quae WICLEFUM pessimum declaraverat haereticum. Tamen ipsi Patres congregati id non tanti duxerunt, quippe qui HUSSUM, haec dicentem, tantummodo ludibrio habuerunt, ita significantes, eum propterea magis ridendum quam morte plectendum esse (2).

E dictis efficiendum videtur, HUSSI propensionem in WICLEFUM ejusque doctrinas magis aliquam ei condemnando obtendisse speciem, quam veram vel saltem praecipuam illius condemnationis causam fuisse. Attamen sponte intelligitur, HUSSUM per illud ipsum, quod honorificentius de WICLEFO se sentire in Concilio professus erat, Patrum Constantiensium odia sibi magis etiam conflasse, eosque instigasse, ut in virum, tam ingrata proferentem, condemnandum et supplicio tradendum intentius etiam conspirarent.

§. 2.

(1) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 14[a]. Cf. et LEHMANN script. laud. *p.* 145. *sq.*

(2) HUSSI *Hist. et Monum. l. l.*

§. 2.

Hussus pertinax et inemendabilis haereticus tres ob causas dictus.

Patres Constantienses non solum HUSSO pessime verterunt ejus in WICLEFUM hujusque doctrinas propensionem, sed illum ipsum quoque condemnarunt tanquam pessimum haereticum. Quam sententiam maxime his comprehenderunt verbis: *Christi nomine invocato, haec sacrosancta Synodus Constantiensis, — per hanc diffinitivam sententiam, quam profert in his scriptis, pronuntiat, decernit et declarat, dictum* JOHANNEM HUSS *fuisse et esse verum manifestumque haereticum, ipsumque errores, et haereses, ab Ecclesiâ Dei dudum damnatas, et plurima scandalosa, piarum aurium offensiva, temeraria et seditiosa dogmatizasse et publice praedicasse, in non modicam offensam Divinae Majestatis, ac Universalis Ecclesiae scandalum et fidei Catholicae detrimentum: claves etiam Ecclesiae et censuras Ecclesiasticas vilipendisse, in quibus per annos multos perstitit animo indurato — — cum appellationem ad Dominum Jesum Christum, tanquam ad summum judicem, omissis Ecclesiasticis mediis, interposuerit; in quâ multa falsa et injuriosa posuit et scandalosa, ipsius sedis Apostolicae, censurarum Ecclesiasticarum et clavium in contemptum. Idcirco — —* JOHANNEM HUSS *haereticum fuisse et esse haec sacrosancta Synodus pronuntiat — — — quia per ea, quae haec sacrosancta Synodus vidit et audivit, cognovit eundem* JOHANNEM HUSS *pertinacem et incorrigibilem, et adeo totaliter, quod non cupiebat ad gremium sanctae matris*

Ec-

Ecclesiae redire, neque haereses, et errores, per eum publice defensatos et praedicatos, velle abjurare (1).

Ad haec autem recte judicanda, primum paucis indicandum est, quid sibi voluerit Concilium, *haeretici* nomine HUSSUM notans. Si igitur ad antiquum usum vocabuli Graeci *αἱρέσεως* (unde nomen *αἱρετικοῦ* seu *haeretici*) attendimus, Scriptores Graeci et Latini, tam Ecclesiastici quam alii, illud adhibent de *peculiari aliquâ, quam quis sequatur, cogitandi sentiendique ratione*; item de *sectâ aliquâ Philosophâ* (2), quin et *Politicâ* (3). Neque adeo abhorret loquendi usus in N. T., ubi vox *αἱρέσεως* maxime ad illorum societates refertur, qui suis etiam de Religione opinionibus a se invicem discrepant. Ita Act. V, 17. XV, 5. XXVI, 5. de notissimis occurrit vel Sadducaeorum vel Pharisaeorum sectis. — Idem nomen etiam Religionis Christianae sectatoribus a Judaeis tributum fuisse loca Act. XXIV, 5. 14. XXVIII, 22. docent. Sed cum sectarum saepe sit, ut turbas et dissidia moveant, hinc etiam concitatae dissensiones *αἱρέσεων* nomine veniunt 1 Cor. XI, 19. coll. 18. Gal. V, 20. Denique idem nomen 2 Petr. II, 1. coll. 2. de placitis, a religionis Christianae doctrinâ alienis, adhiberi videtur. Qui usus certe jam mature, et deinceps magis magisque, in Societate Christianâ et apud Scriptores Ecclesiasticos invaluit; ita ut *αἱρέσεις* seu *haereses* dicerentur graviores, qui saltem habebantur, de doctrinâ Christianâ errores, et *αἱρετικοί* (conf. Tit. III, 10.) appellarentur illi, qui tales errores foverent ac

(1) MANSI, *o. l. T. XXVII. p.* 753.

(2) Ita IGNATIUS, *Epist. ad Ephesios* § 6, et CLEMENS ALEXANDRINUS, *Stromatum I,* 7. edit. Potteri, *αἱρέσεως* vocem usurpant *de Philosophorum familiis.*

(3) Sic POLYBIUS *II,* 61. *de sectis in Republicâ.*

ac disseminarent, vel alere ac spargere existimarentur. Judicium autem de ejusmodi erroribus, sive veris sive opinatis, sibi vindicabat, vel potius arrogabat Ecclesia, quae jam a medio Saeculo II *Catholicam* i. e., *ubique locorum reperiundam*, adeoque *veram*, se appellare inceperat. Haec igitur genuinam se Christi Apostolorumque doctrinam unice tenere continuo fidentius asseverabat. Haec, quod praecipuum illius doctrinae argumentum esset, *fidei*, quae dicebantur, *Symbolis*, ab omnibus, qui Catholicis annumerarentur, tanquam credendorum normam sequendis, magis magisque complectebatur. Praesertim his Symbolis multiplicandis amplificandisque a Saeculo IV operam dederunt Concilia, *Oecumenica* vocata, quorum decreta et statuta, quid credendum foret, continuo acrius et subtilius definiebant praecipiebantque. Denique Concilia Oecumenica *Lateranensia*, ab anno 1123 haberi coepta, vel potius Romani Pontificcs, quorum nutu in iis, ut in reliquis omnibus rebus Ecclesiasticis, cuncta peragebantur, doctrinam, Catholicam, seu veram et ὀρθόδοξον appellandam, sua ad libita informabant, novisque placitis identidem augebant. Quotquot autem ab illâ doctrinâ vel recedebant vel recedere videbantur, *haereticorum* nomine insigniri solebant: in quos ut jam mature variis poenis, quin, Saeculo IV nondum exacto, ultimo etiam supplicio animadversum fuit (1); ita, maxime post inductum et sensim magis informatum Saeculo XIII terribile *Inquisitionis* tribunal, illi, qui ab Ecclesiâ, vel ab iis, qui Ecclesiae vices sustinerent, haeretici de-

(1) Significo PRISCILLIANUM, reverâ propter suas de Religione opiniones Augustae Trevirorum a. 375. capite plexum. Cf. de eo C. F. W. WALCH, *Volständige Historie der Ketzereien. u. s. w. T. III. p.* 378 *sqq.*

declarati erant, Magistratibus civilibus, carnificum munus sibi sumentibus, plectendi, vulgo comburendi, tradebantur. Sed cum longissime absit, ut doctrina, *Catholica* dicta, semper sibi constiterit, requiritur, si de aliquo, qui, certo aliquo tempore, jure an injuriâ, (scilicet de vulgari sentiendi ratione), haereticus pronunciatus fuerit, recte judicabimus, ut bene attendamus, quae eo tempore doctrina Catholica, hoc est, doctrina publice sancita, et sic pro Catholicâ habita, fuerit. Nec negligendum etiam discrimen, quod inter diversos, ordinis scilicet superioris aut inferioris, haereticos, modosque inter, quibus opiniones suas tuerentur ac propagarent, aliquando fieri consueverit. — His igitur praemissis, videamus, an causae, cur Concilium HUSSUM declaraverit haereticum, ejusmodi fuerint, ut a doctrinâ, quae illâ aetate auctoritate publicâ sancita erat, et ab ὀρθοδοξίας patronis Catholica habebatur, reverâ recessisse, adeoque haereticus, quin pessimus haereticus, censendus esset.

Husso igitur, de sententiâ Concilii, in eum pronuntiatâ, praecipue tria imputata sunt, quae verum et manifestum, quin *pertinacem et incorrigibilem haereticum* eum declararent. Scilicet fert illa sententia, primo, *eum errores, et haereses, ab Ecclesiâ jam dudum condemnatas, publice praedicasse;* secundo, *Ecclesiae claves et Ecclesiasticas censuras vilipendisse;* tertio, *omissis mediis Ecclesiasticis, ad Dominum Jesum Christum, tanquam ad supremum judicem, appellasse.* De singulis singulatim tribus sequentibus §§ dicamus.

---

§. 3.

§. 3.

Causa prima:

Hussus pertinax est et inemendabilis haereticus, propterea quod errores, et haereses, ab Ecclesiâ Dei jam dudum condemnatas, publice docuit.

Ad primam igitur accusationem quod attinet, de quâ HUSSUS *errores, et haereses, ab Ecclesiâ Dei jam dudum condemnatas, praedicasse* dicitur; observandum est, eum de praecipuis doctrinae Catholicae dogmatibus, ut *de Transsubstantiatione* (1), *de Intercessione Sanctorum, de Purgatorio, de Adoratione Imaginum, de Confessione auriculari, de bonis Operibus, de Sacramentis, de Traditione* et quae sunt id generis plura, si vel Ecclesiae statutis non plane assentiret, tamen cum GERSONE, Scholae Parisiensis Cancellario, ZARABELLA, Episcopo Cardinali Florentino, et spectatissimis plerisque illius aetatis viris consensisse (2). Si ad alia attendimus; vitia quidem Clericorum in lucem protulit et graviter reprehendit: at vero plurimi etiam Viri gravissimi, qui in Concilio aderant, in hac re tanquam causam communem cum

---

(1) Contendunt quidem THEOBALD (*l. l. p.* 6.) aliique, HUSSUM Transsubstantiationis doctrinam negasse; sed ipse in Concilio (v. s. *p.* 48.) hoc solemniter infitiatus est. Conf. HUSSI *Hist. et Monum. T. II. p.* 12ª. ad verba: *coenantibus autem illis* etc. et disputatio, de hac re in Concilio cum eo habita, *ibid. T. I. p.* 12ᵇ sq.

(2) Vidd. LENFANT, *Hist. du Conc. de Const. T. I. p.* 414 *sqq.*

cum eo faciebant, Conciliumque adeo coactum erat, ut vitiis illis se opponeret, iisque medelam afferret. — Veruntamen multi contendunt, HUSSUM doctrinae Catholicae refragatum esse et haeresis notam sibi contraxisse, propterea quod Calicem S., illâ aetate populo Christiano negari solitum, ei traderet. Cui sententiae, usu Calicis, jam antequam carceri Constantiensi includebatur, Laicis concedendo eoque approbando, et deinde acrius etiam defendendo (de quibus mox plura), certe occasionem dedit. Sed (quod probe tenendum est) nullo modo patet, eum, dum in Bohemiâ versabatur, Calicis usum ibi restituisse (1); cujus rei ipse etiam AENEAS SYLVIUS (2) PETRUM DRESDENSEM et JACOBUM DE MISA sacerdotem Pragensem, auctores facit. Praeterea HUSSUM, antequam Constantiam se conferret, mentem de Calicis usu haud aperte explicasse, satis, nisi fallor, cum e testimonio liquet, ab Inquisitore NICOLAO ei dato (3), tum ex Epistolâ, quam JOANNES DE CHLUM 31 Maji anni 1415 ad eum scripsit, ut in ejus sententiam *de communione Calicis* inquireret (4). Non autem probandus est LENFANT (5), qui et inde, quod HUSSUS doctrinae Ecclesiasticae de *Transsubstantiatione* addictus fuit, verisimile reddere studet, illum eo tempore, quo Pragae degebat, *communionem*, ut appellant, *sub utrâque specie* haud repudiasse; monens scilicet, in receptâ illâ doctrinâ primariam aliquam rationem fuisse, cur Calicis usus

(1) LENFANT, *l. l. p.* 271 *sqq. coll.* 248—271. Conf. VON DER HARDT, *o. l. T. III. P.* 14 *sqq.* passim.

(2) *l. l. Cap.* 35. *p.* 104.

(3) v. s. *p.* 34 *sq.*

(4) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 72ª. *Epist.* 47. Vid. et VON DER HARDT, *o. l. T. IV. P.* 3. *p.* 291.

(5) *l. l. p.* 272.

usus Laicis negatus sit. Nam quamvis hanc rationem universe libenter admittimus, tamen decretum de Transsubstantiatione non sic cum sententiâ de Calice populo Christiano negando junctum est, ut ille, qui prius credat, etiam posterius statuere debeat. Quod et exempla multorum docent. E quibus THOMAM AQUINATEM et JACOBUM DE MISA excitare libet. THOMAS quidem de illâ re hanc protulit sententiam (1): *quamvis totus Christus sit sub utrâque specie,* (i. e. tam sub panis specie pro se, quam pro se sub specie vini), *non tamen frustra datur sub utrâque specie; quia hoc est conveniens usui hujus Sacramenti, ut seorsim exhibeatur fidelibus, corpus Christi in cibum, et sanguis in potum.* JACOBUM eodem modo existimasse, patet e singulari ejus *tractatu de verâ existentiâ corporis et sanguinis Christi in Sacrâ Coenâ* (2). Accuratius autem HUSSI sententiam de communione sub utrâque specie cognoscimus e scriptione, ab eo, cum primum Constantiae versabatur, *de sanguine Christi sub specie vini a Laicis sumendo* (3) confectâ; in quâ Calicis usum Laicis non modo licitum, sed et utilem dicit. Quod si cogitamus, et praeterea respicimus ejus Epistolas in carcere scriptas, quibus communionem sub utrâque specie commendavit, eam item, quâ respondit ad litteras JOANNIS DE CHLUM, 31 Maji datas (4), apparet, HUSSUM, posteriore saltem vitae parte (nam de priore res incertior est) il-

(1) *Summae P.* 3. *Quaest.* 77. *art.* 2. Conff. HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 42b. ROYKO, *o. l. T. II. p.* 192 *not.*

(2) Reperitur apud VON DER HARDT, *o. l. T. III. P.* 23.

(3) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 42a *sqq.* Conff. porro LENFANT, *l. l. p.* 273 *sqq.* et ROYKO, *l. l. p.* 191 *sqq. litt. a a a.*

(4) Vidd. *Epistolae* 16, 19, 48. in HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 62b. 63b. 72a.

illam communionem, quippe Coenae Sacrae indoli magis convenientem, vigenti eo tempore consuetudini praetulisse, de quâ vinum Laicis vulgo negabatur. Propterea tamen non putaverim, in hac ejus sentiendi ratione praecipuam causam fuisse, cur a Concilio haeresis accusatus et mortis poenâ dignus habitus sit. Nam sicuti non liquet, eum Calicis etiam populo Christiano dandi necessitatem unquam ursisse, ita haec res neque Concilio probata fuit. Acerrimus certe HUSSI adversarius, MICHAEL DE CAUSIS, testes producere non potuit, quorum fide de eo constaret. Ait hic tantummodo: *Patet iste articulus, quia jam in Pragâ sui discipuli ministrant illud sub utrâque specie* (1). Similiter Episcopus Luthomislensis, ad quoddam Bohemorum scriptum (2) respondens, communionem sub utrâque specie duntaxat doctrinae ab HUSSO vulgatae effectum habet, non vero dicit, eam communionem ab eo jussam fuisse (3). Quam HUSSUS numquam quoque tanto studio defendit, quanto JACOBUS DE MISA (4) aliique consueverant. Quin si firmissimis constaret argumentis, HUSSUM Christi sub unâ panis figurâ a Laicis accipiendi mori se omni operâ opposuisse, vix tamen propterea ab Ecclesiae doctrinâ aberrasse censendus esset. Nam cum Ecclesiae doctrina merito tantum illa habeatur, quae publicâ auctoritate sancita est, eo certe tempore, quo HUSSUS haeresis accusabatur, decretum nondum factum erat, quod a Calicis usu Laicos arceret. Cujusmodi decretum Patres Constantienses demum Sessione 13,

15

(1) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 6[a].

(2) v. s. *p.* 43.

(3) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 8[a] *sq.*

(4) Vidd. ejus scripta de communione sub utrâque specie apud VON DER HARDT, *o. l. T. III. P.* 16, 17, 18, 22, 23.

15 Junii anni 1415 habitâ, et proinde haud diu ante suam mortem, confecerunt (1). Si vero dicas, HUSSUM decreto edito vehementius sese opposuisse — quod probat ejus *Epistola ad Dominum* HAULICON 21 Junii anni 1415 scripta (2) — neque hoc praecipua aliqua ejus condemnationis causa esse potuit. Certe enim ejus mors decreta jam erat, antequam hanc Epistolam scripsit; quam praeterea in Concilii notitiam non venisse, ex ipso ejus argumento verisimillimum est. Et cave item putes, morem vini in Coenâ Sacrâ Laicis non concedendi jam ab antiquissimis rei Christinanae temporibus viguisse, ut tantum legis forma desideraretur, cum diutissime adfuerit legis vis et auctoritas. Nam contrarium et ipse HUSSUS in scriptione excitatâ *de sanguine Christi sub specie vini a Laicis sumendo* (3), et JACOBUS DE MISA in tractatu *de communione sub utrâque specie, Parte* 1 (4), jam ita tuiti sunt, ut uterque causam probaverit variorum Ecclesiae Patrum et Doctorum effatis: in quibus CYPRIANUM, AMBROSIUM, HIERONYMUM et AUGUSTINUM memorasse sufficiat. Si quis plura desiderat, etiam in antiquo Missae Canone, quem HUSSUS (5) et DE MISA (6) afferunt, haec leguntur: *Communicans alios, dicat: Perceptio corporis Domini nostri Jesu Christi prosit animae tuae et corpori tuo in vitam aeternam. Sangui-*

(1) MANSI, *o. l. T. XXVII. p.* 727 *sq.* VON DER HARDT, *o. l. T. III. P.* 18. *p.* 646 *sqq. T. IV. P.* 4. *p.* 333 *sq.* Conf. ROYKO, *o. l. T. II. p.* 194 *sqq.*

(2) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 62b. Epist. 16. Conf. GIESELER, *o. l. T. II. P.* 4. *p.* 414 *sq. lit. y.*

(3) *v. s. p.* 77.

(4) VON DER HARDT, *o. l. T. III. P.* 16. *p.* 416 *sqq.*

(5) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 42b.

(6) Apud VON DER HARDT, *l. l. p.* 492 *sq.*

guinis Domini nostri Jesu Christi proficiat tibi in remissionem omnium peccatorum tuorum ad vitam aeternam (1). Sed quid opus est, copiosius de hac re disputare? Notissimum enim est, Calicem Saeculo demum XII, multis improbantibus, hîc illîc populo interdici coepisse. Unde simul apparet, quo jure Concilium in decreto memorato hanc novitatem consuetudinis antiquae nomine vocaverit. Verbo tantum addo, quaestionem de Coenae Sacrae celebrandae modo universe magis ad Ecclesiae ritum quam ad doctrinam pertinere.

Praeterea et aliae doctrinae HUSSO vitio versae sunt, ob quas, si reverâ eas professus esset, ex aevi illius cogitandi ratione merito eum haeresis accusassent, et condemnassent. De illis autem singulatim dicere vetant termini, quos in hac scriptione nobis constituendos duximus. Neque id adeo requiritur. Nam praeter omnem probabilitatem, et maximam partem ab hominibus obscuris, sine ullis idoneis rerum argumentis, ei afflictae sunt (2). His igitur criminationibus certe nemo erit, a praejudicatis opinionibus paulo liberior, qui parem tribuat auctoritatem, atque eorum testimoniis, qui istiusmodi criminationes luculenter falsitatis arguerunt (3).

Itaque ex iis, quae ad accusationem notavimus, quâ HUSSUS *errores, ac haereses, ab Ecclesiâ Dei jam dudum condemnatas, praedicasse* dicitur, satis apparet, eam parum instructam, nec certe praecipuam caussam fuisse, cur Concilium virum eximium condemnaverit.

§. 4.

(1) Cum varii exstent Missae Canones, et neque HUSSUS, nec de MISA indicent, quemnam Canonem sibi velint, de tempore, quo Canon, in textu excitatus, confectus est, nihil etiam certi statui potest.

(2) v. s. *p.* 57 *sq.*

(3) v. s. *p.* 34 *sqq.*

§. 4.

Causa altera:

Hussus pertinax est et inemendabilis haereticus, quia Claves Ecclesiae et Ecclesiasticas censuras vilipendit.

Alteram causam, cur *pertinax et inemendabilis haereticus* HUSSUS dicendus esset, in eo quaesivit Concilium, quod *claves Ecclesiae et Ecclesiasticas censuras vilipenderit* (1). Quam criminationem, cum tertiâ, mox considerandâ, arcte cohaerentem, ut recte judicemus, ante omnia indagandum est, quaenam HUSSI fuerit sententia de supremo Rectore et ceteris Ecclesiae Antistitibus; quo simul pateat, utrum in hac re discrepaverit a spectatis temporis sui Viris ipsisque Patribus Constantiensibus, an vero cum iis universe eadem senserit.

HUSSUS igitur tam Papae quam reliquis ordinis superioris et inferioris Clericis non magnopere pepercit. Sermonibus enim et scriptis omnium vitia et scelera intrepide vituperare, vanamque eorum arrogantiam explodere solebat. Rem testimoniis probare juvat. Sic nominatim de auctoritate summi Pontificis haec habet: *Quod omnis sententia Papae est tenenda, — — est manifeste falsum, quia sententia nullius hominis, cujuscunque auctoritatis, tenenda est, si contineat manifestam falsitatem, sive errorem. Et hoc patet per hoc, quod praemittitur in textu:* judicabunt judicii veritatem, et docuerint te juxta legem ejus. *Ergo si dicant judices falsum,* *aut*

---

(1) v. s. *p.* 71.

aut declinent a lege Dei, non sunt audiendi (1). Similiter alio loco magis universe ait: *Nemo debet obedire homini in aliquo etiam minimo, quod divino obviat mandato — — cum Act. V, 29. dicit* PETRUS: obedire oportet magis Deo, quam hominibus. *Unde, sicut jubemur obedire Praepositis in licitis et in honestis, cum circumstantiis adhibitis; ita jubemur eis in faciem resistere, quando ambulant contrarie divinis consiliis vel praeceptis* (2). His locis si quis alia addere cupit, in scriptionibus ejus *de Ecclesiâ* et *de sex erroribus*, ea facile reperiet (3).

Talia vero HUSSUS non unicus erat qui proferret, cum Viri illius aetatis spectatissimi, nisi eadem, similia saltem, opportunitate datâ, profiterentur. Hussus e. c. existimabat, *Romanum Pontificem cum Cardinalibus non esse totum corpus Universalis Ecclesiae, sed partem; nec Papam esse Caput, sed Christum* (4). Sed eandem sententiam vindicabat THEODORICUS VRIE, qui Concilio Constantiensi ipse interfuit (5), *Ecclesiam* contendens *manere Christi Ecclesiam, etiamsi nullus exsistat Papa* (6), et *omnia Ecclesiae mala justum Dei judi-*

(1) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 177b.

(2) *L. l. p.* 230a.

(3) LENFANT, (*Hist. du Conc. de Const. T. I. p.* 423 *sq*) aliique rem, quam tractamus, etiam probare student e scripto *de Antichristo et membrorum ejus anatomiâ*: quod tamen utrum HUSSO auctori tribuendum sit nec ne, nos quidem non dirimimus.

(4) HUSSUS hoc argumentum exponit *Cap.* 7. libri *de Ecclesiâ*, in *Hist. et Monum. T. I. p.* 206a *sqq.* Conf. GIESELER, *o. l. T. II P. 4. p.* 408 *nota.*

(5) VON DER HARDT, *o. l. T. I. Proleg. p.* 23 *sqq.* et *P.* 1. (quae scripta THEODORICI VRIE continet), *Praef.* in fine.

(6) *Hist. Conc. Const. lib. II. Dist.* 3, 4., apud VON DER HARDT, *o. l. T. I. P.* 1. *p.* 31 *sqq.*

dicium, ob Praesidum quoque Ecclesiae peccata appellans, singulaque illa peccata denique recensens cum gravi reprehensione (1). De *Simoniâ*, quae dicitur, idem THEODORICUS scribit: *Possem, si vellem, ad peculiaria descendere, ostensurus nominatim Simoniacos manifestissimos. — — Ne tamen alicujus offendar opinione, dicam breviter verissimum veritatis eloquium: omnes totius religionis tuae Rectores simoniaci sunt manifesti. Et tu, si placuerit, inspice summos tuos vicarios, et adverte, an non a primo usque ad ultimum simoniaci veri sint* (2). Clericorum luxuriam his notat verbis: *De luxuriâ etiam eorum, quid dicam? cum ipsa jam facta impudicam Praelatorum ac Sacerdotum vitam apertissime clament. Nulli enim parcunt statui, aut sexui feminarum, et sive virgines sint, sive moniales, sive seculares, aut alterius conditionis, indifferentes sunt ad omnes. Testantur haec animalia, supra terram gradientia, in dedecus tuum meumque, dulcissime sponse* (3)! De eorum ignorantiâ denique (nam omnia referre longum est) sequentia profert: *Sed nostri* (Ecclesiae Praesides) *nunc temporis sapientiam abjecerunt, judicantes populum secundum ignorantiam et desidiam capitis sui, judicium et justitiam pervertentes. Enimvero, in quibus sapientiae lumen clarere de jure deberet, ceteris magis sunt ignari* (4).

Neque aliter GERSON, unus in paucis maximâ in Concilio Constantiensi auctoritate valens (5). Is igitur *trac-*

(1) *Ibidem, Dist.* 5. apud VON DER HARDT, *l. l. p.* 33 *sqq.*

(2) *Ibidem, lib. III. Dist.* 2. apud VON DER HARDT, *l. l. p.* 63 *sq.*

(3) *Ibidem, Dist.* 3. apud VON DER HARDT, *l. l. p.* 69.

(4) *Ibidem, Dist.* 7. apud VON DER HARDT, *l. l. p.* 85.

(5) Vidd. de GERSONE *Gersoniana*, quae L. E. DU PIN prae-

tractatum de modis uniendi ac reformandi Ecclesiam in Concilio Universali (1) incipit ab admonitione, quâ distinguendum esse ait Ecclesiam *Catholicam* inter et *Romanam*, atque HUSSI de hoc argumento sententiam reapse universe probat, ubi dicit: *Catholica Universalis Ecclesia, ex variis membris, unum corpus constituentibus, sive e Graecis, Latinis et Barbaris in Christum credentibus, ex hominibus et mulieribus, ex rusticis et nobilibus, ex pauperibus et divitibus est conjuncta et nominata. — Cujus corporis Universalis Ecclesiae Caput Christus solus est. Ceteri vero, ut Papa, Cardinales et Praelati, Clerici, Reges et Principes ac plebeji, sunt membra, inaequaliter disposita. — Nec istius Ecclesiae Papa potest dici nec debet caput, sed solum vicarius Christi, ejus vicem gerens in terris, dum tamen clavis non erret* (2). Praeterea de Romano Pontifice GERSON similia, atque HUSSUS, professus est. *Si ergo*, inquit, *propter salvationem unius Regni, unius Provinciae, deponitur unus Rex, unus Princeps secularis, qui per successionem perpetuam descendit; multo magis unus Papa, unus Praelatus est deponendus, qui per electionem Cardinalium fuit institutus. — — — Ergo Papa malus citius deponitur, quod est membrum validius, quam quicunque alius Praelatus, cum ipse sit in totam solli-*

---

fixit editioni *Operum omnium* JOANNIS GERSONII *T. I. p. XXXIV sqq.* (editio *prima* prodiit Antverpiae A°. 1706; *altera*, quâ utor, Hagae Comitum A° 1728); IDEM, *Nouvelle Bibliotheque des auteurs Ecclesiastiques* (edit. alter.) *T. XII. p.* 66 *sqq.* — Pariter conferri meretur *Essai sur la vie de* JEAN GERSON *par M.* L'ECUY, II Volum. Paris. 1832.

(1) GERSON. *Opp. T. II. p.* 161 *sqq.*

(2) *Ibidem, p.* 163. Conf. LENFANT, *l. l. p.* 425.

licitudinem, ceteri vero Praelati sint in partem etc (1). Et alibi: *si Papa vellet thesauros Ecclesiarum diripere aut hereditates usurpare, aut in servitutem abjectam Clerum cum suis bonis redigere et juribus suis spoliare sine causâ, quis diceret, ista debere tolerari? Quis non censeret, posse dici Papae: cur ita facis? — Quis non assentiet, in facie sibi resistendum* (2)? — — Eodem fere modo sententiam declaravit NICOLAUS DE CLAMENGIS, eximius ille Theologus Franco-Gallus (3). Omittimus vero hujus viri effata, quae tum in ipsis ejus scriptis, tum apud VON DER HARDT, facili operâ reperiuntur (4). Nam abunde, puto, jam apparet, HUSSI de Pontifice reliquisque Ecclesiae Antistitibus sententiam non parum convenire cum celebratissimorum illius aetatis Virorum dictis. Quin haud dissimilia sensit ipsum Concilium Constantiense, non modo congregatum, ut de Pontificum juribus judicaret, sed quod etiam inprimis JOANNEM XXIII, quamvis eum Pontificem habebat, eâ tamen reverentiâ prosecutum minime est, quae Capiti Ecclesiae debere videretur, imo vero gravissimorum flagitiorum accusare et de sede Apostolicâ, modo certe non honorificentissimo, dejicere nequaquam dubitavit (5).

His

---

(1) *Ibidem, p.* 166. Conf. LENFANT, *l. l. p.* 425 *sq.*

(2) *Ibidem, p.* 423. Conff. et alia loca, imprimis *p.* 205 *sq.*

(3) Conf. de eo DU PIN, in *Gersonianis. p. XXXIX sqq.* VON DER HARDT, *o. l. T. I. P.* 2. (quae *vota pacis ac emendationis in Concilio Constantiensi quaesitae* NICOLAI DE CLAMENGIS continent) *p.* 71. DU PIN, *Biblioth.* etc. *T. XII. p.* 78 *sqq.*

(4) Conf. et DU PIN, *o. l. T. XII. p.* 82 *sqq.* et C. ULLMANN, JOHANNES WESSEL, *een voorganger van* LUTHER (Edit. Belg., quâ utor, prodiit Lugd. Batav. 1835.) *p.* 17 *sqq.*

(5) Vid. Sententia depositionis JOHANNIS Papae XXIII. Sess. Conc. XII. apud MANSI, *o. l. T. XXVII. p.* 715 *sq.* et VON DER

His praemissis, jam videamus, an HUSSUS, propterea quod *claves Ecclesiae et Ecclesiasticas censuras vilipenderit, pertinax et inemendabilis haereticus* jure a Concilio dictus sit et habitus. Ita vero non quaeritur, an HUSSUS talia commiserit, qualia in malam partem ei verti facile potuerint: quod et ipse fassus est (1). Nam sane Ecclesiae Antistitibus se opposuisse putandus est, cum, quamvis anathemate sacro percussus, conciones habere non intermitteret. Eorum auctoritatem nihilominus simul vario modo ostendit se agnoscere; quin etiam, appellando ab Archi-Episcopo Pragensi ad Pontificem Romanum (2), sedis Apostolicae excellentiam se venerari significavit. Si porro variorum aevi illius Doctorum *de excommunicatione*, quam vocant, placita cum agendi ratione comparaverimus, quae in HUSSO cernitur, hanc illis non adeo adversari videbimus. Ita GERSON, de excommunicatione dicens, haec scribit: *Expediens videtur, nullam excommunicationis ferri sententiam, nisi pro manifestâ contumaciâ* (3), *quâ se monstrat aliquis audire Ecclesiam non paratum. Ratio est, quoniam, dum semper paratus est audire Ecclesiam, cur habebitur sicut ethnicus et publicanus? cur ab eâdem abscindetur? — — — Juxta hoc videre est, qualiter impossibilitas parendi mandatis Ecclesiae facit, ut quis apud Deum nullâ sit excommunicatione ligatus, qui tamen in facie Ecclesiae habetur excommunicatus: quod*

HARDT, *o. l. T. IV. P* 3. *p.* 280 *sqq.* ac gesta, eam depositionem praeparantia, *ibidem p.* 114 *sqq.*

(1) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 73a. *Epist.* 49.

(2) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 89a *sqq.*

(3) *In rebus pure Spiritualibus,* ut habet in *Reg. Moral. reg.* 123.

quod si talis impossibilitas notoria sit, impedit, ne quis possit ab Ecclesiâ per excommunicationis sententiam juste separari. — — — Ceterum dum aliquis ex ignorantiâ, quanquam culpabili, aut ex infirmitate et passione vitiosâ, non tamen contumaci, facit aliquem actum, pro quo statuta est sententia excommunicationis — — videant Juristae et Judices, si talis posset dici excommunicatus ipso facto (1). — Cui GERSONIS sententiae suffragatur DE ALLIACO, qui in disquisitione: *utrum indoctus in jure divino possit juste praeesse* (2)? haec profert: *Primo de excommunicatione: quia nunquam excommunicationis Sententia ferenda est, nisi in contumaces, et qui parati non sunt Ecclesiae obedire. — — Sed non omnes de parte adversâ sunt contumaces, ut videtur, cum dicant, se velle stare judicio Ecclesiae, et in omnibus nobiscum consentiant, ut dicunt, nisi in quibusdam, quae facti sunt, de quibus ad Deum et Ecclesiam se referunt. Et confirmatur: quia contumacia in fide non videtur convinci in aliquo, nisi quando sibi sufficienter ostensa est veritas Catholica, et ille renuit assentire* etc (3). Neque aliter de hac re sentit ZARABELLA, qui item inter Patres Constantienses eminuit; cujus vero effata, ne longiores simus, mittimus (4).

Sed

---

(1) GERSON. *Opp. T. III. p.* 48. Conf. et *Reg. Moral.* (*reg.* 123 *ad* 137) *ibidem, p.* 101.

(2) Haec disquisitio aliaque PETRI DE ALLIACO scripta reperiuntur in *Appendice ad Tomum I Operum* GERSONII. Conf. praeterea de eo DU PIN, in *Gersonianis p. XXXVII sq.* et IDEM *Nouv. Biblioth. etc T. XII. p.* 63 *sqq.*

(3) GERSON. *Opp. T. I. in Appendice p.* 659.

(4) Ob oculos habemus *Capita agendorum in Concilio Generali Constantiensi de Ecclesiae Reformatione*, ZARABELLAE

Sed contendunt non tantum hi Viri Docti, excommunicationis sententiam interdum injuste latam fuisse, atque illos, qui, juris Ecclesiastici vi, Ecclesiâ exturbati sint, non semper Dei judicio fuisse condemnatos; verum disertis etiam verbis monent, homines excommunicatos nonnumquam excommunicationis sententiae se jure suo opponere posse, et vero etiam opposuisse. Sic GERSON, ut rursus ejus utar testimonio: *Contemptus*, inquit, *Clavium et consequenter excommunicatio seu Irregularitas non incurritur, dum (in praemissis casibus) dicit aliquis Jurista vel Theologus juxta conscientiam suam, quod hujusmodi sententiae non sunt timendae; et hoc praesertim, si observetur informatio seu cautela debita, ne sequatur scandalum pusillorum, qui aestimant, Papam esse unum Deum, qui habet potestatem omnem in coelo et in terrâ. Veruntamen expellenda est talium stultitia per informationes idoneas; qui si nolint acquiescere, ipsi jam sunt judicandi de scandalo non dato, sed accepto, hoc est de scandalo Pharisaeorum et ex malitiâ, non pusillorum, et ex simplicitate vel ignorantiâ. — — — Veritas est, quod omnis via favorabilis et humilis tentanda est cum summo Pontifice, dum male informatus, fert per se vel suos injustas sententias, quod desistat ac reformet; sed si nihil proficit humilis sedulitas, arripienda est virilis et animosa libertas* (1).

His addere nonnulla libet, quae dicit JOANNES DE JESSENITZ, Doctor Juris Canonici in Scholâ Bononiensi et HUSSI in rebus etiam, quas habebat cum CONRADO, Ar-

vulgo tributa. Reperiuntur apud VON DER HARDT, *o. l. T. I. P.* 9. ubi conferri merentur imprimis *p.* 529 *sq.*

(1) GERSON. *Opp. T. II. p.* 424. Vidd. item *p.* 423 *sqq.* Conf. LENFANT, *Hist. du Conc. de Const. T. I. p.* 420 *sq.*

Archi-Episcopo Pragensi, procurator (1), in *Repetitione suâ pro defensione causae* JOANNIS HUSS (2). — Ille igitur in hac Repetitione varios affert casus, in quibus excommunicatio Ecclesiastica ipsâ juris vi nulla habenda sit. Quae omnia ad HUSSI causam tangere, illumque adeo sine jure ex Ecclesiâ ejectum fuisse, speciose contendit LENFANT in brevi, quem dedit, scriptionis JESSENITZI conspectu (3). Cui tamen si quis plane assentire nequeat, certe egit HUSSUS, quod GERSON, ut vidimus, in tali rerum statu, in quali ille versabatur, agendum esse monuit. Scilicet, cum HUSSO periculum, ne ex Ecclesiâ exturbaretur, magis magisque immineret, is *omnem viam favorabilem et humilem*, ut periculum illud a se averteret, ingressus est, ab Archi-Episcopo ad Pontificem, a Pontifice perperam edocto ad Pontificem melius informandum provocans. *Humili* autem illâ *sedulitate nihil proficiens*, et anathemate Pontificio reapse percussus, *arripit virilem et animosam libertatem*, immerito se ex Ecclesiâ ejectum esse tam publice quam privatim probans, et tandem, Pragâ relictâ, in campis aliisque locis conciones habens, donec evocaretur, ut in Concilio adesset (4).

Talia igitur si nobiscum reputamus, alteram quoque, quam Patres Constantienses attulerunt, causam, cur HUSSUM pertinacem et inemendabilem haereticum declararent, non satis probatam deprehendemus. Nec profec-

(1) Vid. supra *p.* 34 *sqq.* HUSSUS ipse DE JESSENITZ memorat in scriptione *de Ecclesiâ*. Vid. *Hist. et Monum. T. I. p.* 248b.

(2) Composita, secundum inscriptionem, illa Repetitio est mense Decembri anni 1412. Reperitur in HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 324b *sqq.*

(3) *Hist. du Conc. de Pise T. II. p.* 129 *sqq.*

(4) v. s. *p.* 32 *sq.*

fecto haec causa, etiam quatenus ipsa aliquo jure HUSSO fuerit objecta, non tam gravis viderit debuit Concilio, ut ultimo supplicio virum damnaret, qui, quamvis interdum Ecclesiae Rectoribus se opponeret, tamen minime contumacem se ostenderat, imo vero ita Constantiam quoque erat profectus, ut et inde contrarium appareret. Leges, fateor, Ecclesiasticae, Gratiani decreto, Decretalibus, Extravagantibus, similibusque collectionibus comprehensae, in Clericos refractarios, qui munere suspensi, multoque etiam magis in eos, qui ex Ecclesiâ ejecti essent, maximâ animadverti severitate jubebant. Eas proinde, non sententias quorundam Doctorum singularium, Patres Constantienses sequi debuisse, haud sine ratione dixeris. Verum tempora, quibus causa HUSSI agebatur, spectanda sunt. Et haec quidem ejusmodi erant, ut multarum ex hoc genere legum non parum vacillaret auctoritas. Neque rerum tantum testimonia adduximus, ab hominibus privatis de his rebus prolata, sed ab illis ipsis, qui, in Concilio partes potiores agentes, partim saltem eadem defendebant, quae in HUSSO condemnarunt. Si vero urges, HUSSUM eo progressum fuisse, ut Patres congregati, de suâ cogitandi ratione, eum non impunitum dimittere possent; legibus Ecclesiasticis, opinor, ex aequo ab iis satisfactum fuisset, si mitiore aliquâ poenâ eum affecissent, quam in diram adeo mortem tradidissent.

§. 5.

§. 5.

Causa Tertia:

Hussus pertinax est et inemendabilis haereticus, quoniam ad Dominum Jesum Christum tanquam ad supremum judicem appellavit.

Accedimus ad tertiam, quam Concilium protulit, causam, cur HUSSUS, tanquam *pertinacem et inemendabilem haereticum* condemnaret. Ei enim et hoc in crimen versum est, quod *ad Dominum Jesum Christum tanquam ad supremum judicem appellavit.* (1). Quam rem nec HUSSUS unquam negavit; imo vero in Concilio huic accusationi sic respondit: *Equidem hîc publice coram vobis omnibus hoc affirmo, nullam esse justiorem neque magis efficacem provocationem, quam quae fit ad Christum. Quandoquidem, ut est in legibus, provocare nihil aliud est, quam in gravamine, quod fit ab inferiore judice, superioris judicis auxilium implorare* etc (2). — At quomodo Concilium in hac appellatione condemnationis causam invenire potuerit, dictu difficile est. Nam idem illud Concilium tam abjecte sentiebat de Pontificis Romani auctoritate, ejusque judicium falli nescium tam contumeliose ridebat, quin JOANNEM XXIII; in sede Apostolicâ sedentem, propter horrenda scelera damnandum esse adeo urgebat, ut sibi prorsus non constiterit, cum appellationem a Pontifice fla-

---

(1) v. s. *p.* 71.

(2) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 13^b *sq.*

flagitiosissimo ad Christum supremum eundemque sanctissimum Ecclesiae Rectorem HUSSO vitio verteret. Edidit quidem Pontifex MARTINUS V. 10 Martis a. 1418 Bullam, quâ omnem appellationem a Papâ faciendam interdiceret (1); sed decretum, diu post HUSSI necem factum, certe contra HUSSUM vivum valere non potuit. Quin ipsi Patres Constantienses probe perspexisse videntur, quam exigui ponderis illa esset, de quâ hoc loco dicimus, condemnationis causa, siquidem ei adjiciunt: *omissis Ecclesiasticis mediis, — — ipsius sedis Apostolicae, censurarum et clavium in contemptum* (2). At vero in ipso Concilio lecta est appellationis formula (3), in quâ HUSSUS appellandi rationes, omniaque, quae Romae per procuratores suos aliisque modis efficere conatus erat, ita exposuerat, ut et inde adjecta illa accusatio cuilibet etiam nunc inanem se probare debeat (4). Itaque copiosius de his disputare non attinet.

CA-

(1) MANSI *o. l. T. XXVII. p.* 1171. cf. LENFANT, *l. l. p.* 227. Illa igitur Bulla e regione oppositam erat decreto, quod Concilium Constantiense Sess. V. fecerat. Exstat hoc apud MANSI, *l. l. p.* 590. — Quid autem GERSON de Bullâ MARTINI judicaverit, apparet ex ejus *Tractatu: quomodo et an liceat in causis fidei a summo Pontifice appellare* (*Opp. T. II. p.* 303 *sqq.* et magis etiam ex ejus *Dialogo Apologetico pro condemnatione propositionum* JO. PARVI (*l. c. p.* 390). Conff. etiam PLANCK, *o. l. T. V. p.* 416. *not.* 3. et GIESELER, *o. l. T. II. P. IV. p.* 44. *litt. x.*

(2) v. s. p 71.

(3) Scribit de hac re HUSSUS, *Epist.* 49. (in *Hist. et Monum. T. I. p.* 73ª.): *Legerunt appellationem coram me, quam laeto animo et ridendo coram omnibus dixi fere meam.*

(4) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 17ᵇ.

CAPUT II.

CAUSAE, ALIUNDE PETITAE.

De rebus exposuimus, quae in sententiâ, a Concilio Constantiensi in HUSSUM latâ, pro causis afferuntur, cur ille ad rogum damnatus sit. Et quanquam minime negamus, eas, praesertimque duas priores, apud multos Patrum congregatorum eo contulisse, ut HUSSUM ultimo dignum supplicio judicarent, tamen simul vidimus, ejus condemnationem, in quam communibus fere suffragiis Constantienses consenserunt, ex illis causis unice explicari non posse. Haud temere igitur quaerimus, an aliis quoque, partimque forsitan gravioribus, eo permoti fuerint. — Et tales utique, quamvis in Concilii judicio non commemoratae sunt, neque etiam commode commemorari potuerunt, reperiri nobis videmur tum *in Patribus, Constantiae congregatis*, tum *in Imperatore* SIGISMUNDO, tum denique *in ipso* HUSSO. Singulas singulatim exponere conabimur.

SECTIO I.

CAUSAE, QUAE CERNUNTUR IN PATRIBUS, CONSTANTIAE CONGREGATIS.

§. 1.

Causae Politicae.

Causas politicas appellantes, quibus Patres Constantienses ad HUSSUM condemnandum impulsi fuerint, tales no-

nobis volumus, quales vel ab auctoritatis suae tuendae studio, vel universe ab utili petitae essent. Utraque autem causarum species ad illius condemnationem contulisse nobis videtur.

Quod igitur ad prius attinet; Concilia certe jam ab antiquo multum a Principibus civitatis pependerant. Deinde Pontifices Romani illa in Occidente ad libita convocabant, cuncta item ad arbitrium in iis agentes et decernentes. Concilium vero Pisanum, nuperius habitum, tam ab arbitrio Pontificio quam Imperatorio liberum fuerat, a Cardinalibus suâ ipsorum auctoritate coactum (1), et eo quidem consilio, ut hi ipsos Pontifices judicarent. Patres igitur Constantienses eâdem libertate uti voluerunt. Concilium quidem auctoritate tam Pontificis JOANNIS XXIII, quam Imperatoris SIGISMUNDI convocatum erat. Sed quam parum in Patres valuerit Pontifex, ex eo facile colligitur, quod postea ab iis, acerrimâ in eum latâ sententiâ, munere dejectus est. — Ipsum quoque Pontificem vidisse quam exiguâ valeret auctoritate, docet ejus dictum, supra allatum (2). Ut autem parvi a Constantiensibus habebatur Pontifex, sic Imperatori etiam cedere noluerunt, quoties ab eo dissentiebant. Quare salutis promissionem, quam Imperator HUSSO dederat, hoc viro in carcerem conjiciendo, jam protinus violaverant (3). Neque illi, cum errores, HUSSO imputatos, sibi tradi jubebat, ut a Viris Doctis eos examinandos curaret, refragari veriti sunt (4). Quibus satis studium declararunt, Concilii libertatem, si opus esset, etiam contra Im-

(1) LENFANT, *Hist. du Conc. de Pise. T. I. p.* 212 *sqq.*

(2) Cf. *p.* 40 *sq.*

(3) *Ibidem.*

(4) v. s. *p.* 46 *sq.*

Imperatorem tuendi. Ex his igitur omnibus jam aliqua sane oritur suspicio, Patres congregatos, vel aliquot saltem, qui primas agerent, superbiae adeo indulsisse, ut etiam HUSSO condemnando, quidquid obniterentur alii, potestatem suam declararent.

Sed alia item studia Politica, ab utili petita, accessisse videntur. Scilicet HUSSI causam cum Ecclesiae quiete et Clericorum auctoritate conjunctissimam esse sibi persuaserant, adeo ut ex illius absolutione aut condemnatione utraque penderet. Quamvis enim hucusque adversarii, HUSSO apud Pontificem accusando, placitorum capita publice damnando, efficiendo denique, ut ad causam defendendam coram Concilio se sisteret, eum oppresserant, tamen non poterant impedire, quominus ille in res varii argumenti diligentius inquirere, quod verum esse judicaret, longe lateque propagare, et damnum, ut existimabant, doctrinae Catholicae inferre pergeret. Imprimis in Bohemiâ serpebant rumores de motibus, quos HUSSUS ibi excitasset. Si igitur Constantienses hominem crimine absolverent, tria sibi imminere facile opinati sunt, quae maxime cavenda essent. Primum enim aequum videri poterat, HUSSUM semel absolutum, aliquamdiu sibi relinqui. Quo facto, timendum, ne persequeretur illud, quod inceperat, nempe pacem Ecclesiae turbare, auctoritatem Clericorum imminuere, et veluti in ulcus jam satis grave ungues violentos denuo conjicere. Deinde patebat, PETRUM DRESDENSEM (1), JACOBUM DE MISA (2), similesque viros, qui, post-

(1) *Nondum*, inquit AENEAS SYLVIUS, (*l. l. Cap.* 35. p. 104) *error de Sacramento altaris irrepserat* (nempe eo tempore, quo HUSSUS, Pragâ relictâ, Hussineczi versabatur), *sed attulit novam pestem* PETRUS DRESDENSIS.

(2) HUSSUS JACOBUM DE MISA (vulgo JACOBELLUM dictum)

postquam HUSSUS in carcerem jam abductus erat, variis Ecclesiae Statutis maxime in Bohemiâ, se opposuissent, simulatque ille Concilii judicio liberatus esset, strenue operam daturos esse, ut opiniones suas, HUSSI placitis cognatas, in detrimentum doctrinae Catholicae audacius etiam propagarent. Nec minus res ipsa loquebatur, HUSSUM, si in publicum salvus rediret, multo magis metuendum fore, quam antea. Nam intellectu facile erat, in ejus absolutione gloriandi materiam non solum habituros esse multos ejus fautores et sectatores, sed et alios, qui hucusque rem cum eo communem facere non ausi essent, metu deposito, placita ejus esse recepturos, quippe ab ipso Concilio, si non probata, saltem haud adeo improbata. Quae si ita esse Patres congregati existimaverint, optio iis facienda videbatur, utrum pacem Ecclesiae in discrimen venire vellent, an HUSSUM capitis damnare. Tamen, fateor, postremum hoc, de eorum etiam cogitandi ratione, non necessarium fuerat, ut pericula, quae significavimus, averterentur. Nam haec forsitan praecaveri potuissent, si absolutio, re eo tendente, certis conditionibus, v. c. silentii perpetui, alligata fuisset. Sed ut vix puto, HUSSUM, maximo veri, quod habebat, propagandi studio incensus, ejusmodi conditiones accepturum fuisse; ita certe Constantienses ei, vel fidem interponenti, fidem aegerrime adhibuissent. Restabat tamen, ut coenobio aliquo inclusum HUSSUM omnemque cum ipso haeresin veluti sepelirent. Quod tamen iis haud satis fuisse, sequentia rerum momenta, antecedentibus juncta, magis etiam, nisi fallor, declarabunt.

§. 2.

---

cognitum sibi habuit, si fides est Epistolae sacerdotis cujusdam (HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 101[a] *sq.*), qui JACOBELLUM appellat *coadjutorem* HUSSI *in Evangelio*.

§. 2.

Causae Philosophae.

Alia igitur causa, quae ad HUSSI condemnationem non parum contulit, quaerenda in eo est, quod *Philosophâ sentiendi ratione* a Patribus congregatis differebat. Docet nempe omnium temporum experientia, quanta odia inter homines e dissensione de rebus intelligibilibus oriri possint, et saepissime oriantur. Jam HUSSI aetate acerrimae lites agitabantur *Nominales* inter et *Reales* (1). Illorum a partibus stabant Constantienses, his favebat HUSSUS. Tantus autem in hac re litigantium furor vulgo erat, ut qui alteram sequerentur cogitandi rationem, patronis alterius omni modo damnum inferre conarentur. Sed quo clarius res in oculos incurrat, nonnulla, age! disputationis capita paucis attingamus.

In memoriam igitur revocemus PLATONIS, ARISTOTELIS et ZENONIS placita de *Ideis*. Ideas PLATO vocavit *essentialia* rerum omnium singularium exemplaria, *αὐτοουσίαν* habentia, ad quorum speciem, qualis in mente Dei esset, omnia efficta et formata sint, quae sub oculos cadant. Haec autem nasci dixit, occidere, fluere, labi; illa vero, ut nihil habeant materiâ concretum, ita aeterna esse. ARISTOTELES has formas ab aeterno fuisse PLATONI concessit, sed in materiâ, cui impressae essent, la-

(1) Cff. de utrisque C. MEINERS, *de Nominalium ac Realium initiis atque progressu* (*in Comm. Societ.* Gotting. T. XII. *Class. Hist. et Phil. p.* 24 *sqq.*) et BAUMGARTEN - CRUSIUS *de vero Scholasticorum Realium et Nominalium discrimine, decretisque ipsorum Theologicis*, in *opuscc. Theologicis* (Jenae 1836.) *p.* 55 *sqq.*

latentes, donec haec ad illarum rationem constituatur. Ab utroque vero discrepabat ZENO, quem tota secuta est Stoicorum Schola. Hic nempe, ut rerum adspectabilium tanquam semina quaedam et radices esse statuit, ita formas iis tribuere recusavit, quin etiam ridiculam eorum censebat opinionem, qui universa illa a notionibus et verbis, quibus enunciantur, distinguebant (1).

Diversas has veterum Philosophorum opiniones jam ab antiquo in concordiam redigere conati sunt Philosophi nominis Christiani. Saeculo autem XI ROSCELINUS sive RUZELINUS, Canonicus Compendiensis, ARISTOTELE relicto, in partes, puto, Stoicorum transgressus, docebat, *universalia, nec ante rem, nec in re existere, nec ullam habere realem existentiam, sed esse nuda nomina et voces, quibus rerum singularium genera denotentur* (2). Ejus sectatores Nominales dicebantur, hoc nomine Realibus oppositi. Cum vero ROSCELINUS propter suas de *Trinitate* opiniones in Concilio Suessionien-

si,

---

(1) Praeter alios vidd. de hoc argumento nostras PH. G. VAN HEUSDE, *Init. Phil. Plat. Vol. II. P.* 3. *p.* 24 *sqq.* item H. RITTER, *Gesch. der Philos. T. II. p.* 262 *sqq. T. III. p.* 118 *sqq.*

(2) Ita J. BRUCKERUS, *Hist. Crit. Philosophiae T. III. p.* 907. Vidd. et C. REINHOLD, *Handb. der Allg. Gesch. der Philos. T. II. P.* 1. *p.* 52*;* qui ROSCELINI sententiam his verbis enarrat: *Die begriffe des Allgemeinen bezeichnen nichts real existirendes, sondern sie seyn, getrennt von den Dingen, denen sie zukommen, mithin als abstracte vorstellungen, nichts Wirkliches und Erkennbares.* Ipsa ROSCELINI scripta interierunt. Ejus autem opiniones maxime cognoscendae sunt ex JOANNIS Monachi Epistolâ ad ANSELMUM (in STEPHANI BALUZII *Miscellaneis T. IV. p.* 478 *sqq.*) qui et inde sua hausit, in libro *de fide Trinitatis* et *de incarnatione Verbi contra Blasphemias* RUZELINI. Conf., quoad ROSCELINI sententiam de Universalibus, liber ille *Cap. II. p.* 42.

si, anno 1092 congregato, haeresis accusatus esset, atque ad illas opiniones revocandas se coactum vidisset, Nominales religioni periculosi censebantur, erroris imprimis Sabelliani suspicionem incurrentes. Quibus mox Reales tam acriter eoque cum eventu se opponebant, ut Nominales cum ROSCELINO fere toti et tanquam in perpetuum interirent (1). Saeculo vero XIV celeberrimus GUILIELMUS OCCAMUS (2) tandem Nominalibus locum restituit, eorumque decreta, faventibus etiam LUDOVICO *Bavaro* et PHILIPPO *Pulchro*, longe lateque propagavit. Ex quo tam prosperâ fortunâ usi sunt, ut multi Viri Docti, e quibus solum modo RICHARDUM, SUISSENUM DE ARIMINO, JOANNEM BURIDANUM, PETRUM DE ALLIACO, JOANNEM GERSONEM et MARSILIUM AB INGHEN excitamus (3), serius ocius eorum doctrinam susciperent. Atque horum aliorumque studio communi effectum est, ut Nominalium secta propemodum una esset, quae inter Franco-Gallos et Germanos floreret. Quorum et haud pauci se tanquam haeredes ostenderunt ingentis illius odii, quo OCCAMUS avaritiam et superbiam Curiae Romanae prosecutus erat. Nominalibus autem numero et viribus auctis, Reales majori etiam ardore restiterunt; ut adeo duae hae sectae Saeculo XIV et XV perpetuum fere inter se certamen gererent (4); imprimisque depravationis in Ecclesiae doctrinam importatae, id est, haere-

re-

(1) Ita saltem JOANNES *Sarisburiensis* in *Metalogico lib. II. cap.* 16. *p.* 814. (Lugd. Batav. 1639) Conf. et SCHROECKH, *o. l. T. XXXIV. p.* 356.

(2) Vid. de eo, praeter alios, D. TIEDEMANN, *Geist der Speculativen Philosophie. T. V. p.* 163 *sqq.*

(3) Cff. BRUCKERUS, o. *l. T. III. p.* 910. ULLMANN, *l. l. p.* 67. *not.* 3.

(4) BRUCKERUS, *l. l.* ULLMANN, *l. l. p.* 66 *sqq.*

reais, se invicem accusarent. Quin quam vehementer etiam deinceps, non modo verbis, sed etiam factis, Nominales et Reales se mutuo petiverint, declarant quae de iis JO. LUD. VIVES (1) ita narrat: *Clamores primum ad ravim, hinc improbitas, sannae, minae, convitia, dum luctantur, et uterque alterum tentat prosternere; consumtis verbis, venitur ad pugnos, ad veram luctam ex fictâ et simulatâ. Quin etiam, quae contingunt in palaestrâ, illic non desunt, colaphi, alapae, consputio, calces, morsûs; etiam quae jam supra leges palaestrae, fustes, ferrum, saucii multi, nonnunquam occisi.* Nec horum dissimilia sunt, quae refert ERASMUS (2), *eos frequenter, usque ad pallorem, usque ad convitia, usque ad sputa, nonnunquam et usque pugnos invicem digladiari, alios ut Nominales, alios ut Reales loqui.* Quibus popularis nostri celebratissimi dictis adjicimus JOACHIMI CAMERARII (3) verba: *Non solum contentiones et jurgia inter dissentientes, sed dimicationes etiam ac pugnae commissae fuerunt, interdum concertationibus non tantum pertinacibus verborum, sed manuum quoque violentis. Haec dissidia et Tubingensem Academiam invaserant, contubernio, bonarum artium et philosophiae studiis destinato, in duo quasi castella diviso, ex quibus de opinione suâ factiones illae acerrimae praeliantes inimicitias graves exercebant.* Desinimus in ea, quae habentur ad finem *Examinis Magistralis ac Theologicalis Doctoris* JOANNIS DE WESALIA, a. 1497 habiti, ubi dicitur: *Quis nisi Diabolus seminavit illam zizaniam inter Philosophos et*

---

(1) *De causs. corr. art., Lib. I.* Conf. BRUCKERUS, *o. l. T. III. p.* 911.

(2) *Praef. Enchirid.* Conf. BRUCKERUS, *l. l.*

(3) In *vitâ Melanchton. p.* 21. Conf. et BRUCKERUS, *l. l. p.* 912.

et Theologos, ut tanta sit dissensio etiam animorum inter diversa opinantes, inter eos, qui THOMAM, *qui* SCOTUM, *qui* MARSILIUM (Nominalem) *imitantur. Adeo ut, si universalia quisquam realia negaverit, existimetur in Spiritum S. peccavisse: imo summo et maximo peccato plenus creditur contra Deum, contra Christianam religionem, contra justitiam, contra omnem politiam gravissime deliquisse* (1).

Speciatim quidem arguunt haec postrema quanto odio Reales prosecuti sint Nominales. Sed cum in istiusmodi rixis rixantes pari simultate utrinque in se invicem vulgo ferantur, certe non minus colligi inde potest, quomodo Nominales vicissim habuerint Reales. Jam vero HUSSUS Realium partibus adhaerebat (2). In Concilio autem aderant multi, maxime e Germanis et Franco-Gallis, qui Nominalium decretis faverent, e Franco-Gallis etiam GERSON, quamvis moderatius haec decreta propugnans (3), et PETRUS DE ALLIACO. Atque hic quidem 7 Junii HUSSO placita ejus de *Universalibus* exprobravit publice (4). Item *Nominales Universitatis Parisiensis in Articulis, ad Regem Franciae* LUDOVICUM XI missis, etiam de HUSSO hac in causâ dicunt: *Suscitavit Deus Doctores Catholicos,* PETRUM DE ALLIJACO, JOHANNEM GERSONNO, *et alios quamplures doctissimos viros No-*

---

(1) In *Fascic. Rerum Expetend. ac Fugiend.* supra cit. *p.* 166a *sq.*

(2) Vidd. HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 12b. MOSHEMIUS, *l. l. Saec. XV. P.* 2. *C.* 2. § 6. Conf. AENEAS SYLVIUS, *l. l. C.* 35. *p.* 103.

(3) Conf. de GERSONIS decretis Philosophis REINHOLD, *o. l. T. I. P.* 1. *p.* 71 *sqq.*

(4) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 12b.

Nominales, qui, convocati ad Concilium Constantiense, ad quod citati fuerant haeretici, et nominatim HIERONYMUS *et* JOHANNES, *ibi fidem Christi defenderunt, et dictos haereticos publice per quadraginta dies disputando superaverunt ita et confuderunt, ut dicti haeretici se argumentis* PETRI DE ALLIJACO *victos confiterentur* (1). E quibus, quidquid de jactatâ victoriâ existimes, quam PETRUS DE ALLIACO de HUSSO reportarit, hoc saltem patet, Patres Constantienses, qui (nec pauci illi erant) Nominalium decreta sequerentur, hominem, Realium partes, quamdiu posset, acriter tuentem, aegerrime tulisse, et per illud ipsum in ejus condemnationem facilius quoque conspirasse.

§. 3.

Causae, a Religione derivatae.

Sequitur tertium causarum genus, quas cum *a religione* derivatas dicimus, hoc nobis volumus, homines, qui illis moverentur, ad HUSSUM condemnandum impulsos esse aliquo metu, ne, si eum absolverent, Religionem violarent.

Nimirum inter Patres congregatos procul dubio plures erant, quorum exigua esset mentis sagacitas. Tales igitur a GERSONE similibusque longe diversi, impares erant ad judicandum, an HUSSUS opiniones propagavisset, quae *haereticum* proderent, morte plectendum. Sed regebantur illi auctoritate Virorum in Ecclesiâ Principum, e quibus, quam acerbae in HUSSUM instructae accusationes essent, audiverant. Jam vocibus eorum ob-

(1) Vid. BALUZIUS *o. l. T. IV. p.* 534.

obtemperare et HUSSUM damnare, in officio, quod Religio postularet, sibi esse existimabant.

Sagacioribus vero non latuisse videtur, HUSSUM nihil docuisse, quo mortis poenâ dignus esset. Sed inter hos etiam nonnullos fuisse puto, qui, religioso alîus generis sensu ducti, de HUSSI condemnatione cum reliquis consentirent, vel absolutioni saltem se opponerent, quippe timentes, ne inde sacrosancta Ecclesia vario modo aliquid detrimenti caperet. Ita vero causae, a Religione deductae, quibus instigati sunt, cum causis aliorum Politicis, de quibus § 1 diximus, adeo coalescebant, ut de illis copiosius exponere supervacaneum esset.

§. 4.

Causae inde ortae, quod Concilium Patribus constitit, ad varios populos pertinentibus.

Alîus generis fuere causae, inde ortae, quod *Concilium Patribus constitit, ad varios populos pertinentibus.* Scilicet vix convenerant Patres Constantienses, cum statuerent de suffragiis ferendis. Rem autem non per capita agere placuit, sed per populos (1). Unde divisio exstitit quadripartita, *Anglorum* nempe, *Franco-Gallorum*, *Germanorum* et *Italorum*; quorum quique singulares fere causas habuerunt, cur HUSSUM moleste paterentur, atque sic ad eum damnandum propensiores essent. Has igitur causas pro singulis, quos appellavimus, populis recenseamus; missis tamen *Italis*, utpote de quibus in hac re nihil peculiare dici posse videatur.

§. 5.

---

(1) v. s. *p.* 9.

§. 5.

Causae, reperiundae apud Patres Anglos.

Quanto odio *Angli* universe WICLEFUM ejusque doctrinas prosecuti sint, satis notum est. Animadvertisse igitur sufficiat, Concilium Londinense, anno 1382, WICLEFO adhuc superstite, habitum (1), alterumque, post ejus mortem, anno 1396 congregatum (2), multa illius placita damnasse. Ejus autem sectatores paulo ante coactum Concilium Constantiense, nempe anno 1413 et deinceps, acerbissime vexati sunt, initio facto a JOANNE OLDCASTEL, viro nobilissimo et fortissimo, quem Concilium, eodem illo anno Londini item convocatum (3), pessimum haereticum declaravit. — Talia autem HUSSO non vehementer displicere non poterant, qui jam ab a. 1404 WICLEFUM maximi facere didicerat (4), ac deinde etiam variis scriptis, ut *actu pro defensione libri* JOANNIS WICLEF *de Trinitate* (5), et, ut saltem verisimile est, *defensione quorundam articulorum* JOANNIS WICLEF (6) ejus causam tueri studuerat. Quin in ipso Concilio Constantiensi tantum abfuit ut hanc causam desereret, ut se varias WICLEFI doctrinas non adeo improbare et ibi declararet (7). Quare mirum non est, jam initium sententiae, in HUSSUM latae, etiam haec continuisse: HUSSUM doc-

(1) MANSI, *o. l. T. XXVI. p.* 595 *sq.*

(2) *Ibidem, p.* 311 *sqq.*

(3) MANSI, *o. l. T. XXVII. p.* 507 *sqq.*

(4) v. s. *p.* 21 *sq.*

(5) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 105ª *sqq.*

(6) v. s. *p.* 31.

(7) v. s. *p.* 48.

doctrinae WICLEFI propagandae valde profuisse, ejusque sectatorem habendum esse (1). Quo Anglis odiosius nihil esse poterat. Accedebat, quod HUSSUS jam antea cum Anglis scribendo vehementius disputaverat; cujus rei testis est ejus *Replica contra Anglicum* JOANNEM STOKES (2). Fieri igitur vix aliter poterat, quin talem hominem vehementer aversarentur. Quod haud obscure etiam significarunt STOKES aliique, cum HUSSUM in Concilio aeriter accusarent (3).

§. 6.

Apud Franco-Gallos.

Quemadmodum Angli, ita Franco-Galli quoque peculiari in HUSSUM odio ferebantur, variis e fontibus orto. Atque illud imprimis fovebant animis, propterea quod Bohemi, ad quos HUSSUS pertinebat, *Valdenses*, in eorum terras jam mature delatos, comiter exceperant, praesertimque HUSSI doctrinae cum Valdensium placitis haud parum convenire censebantur.

Valdenses nempe, originem ducentes a PETRO VALDO, mercatore Lugdunensi, anno circiter 1170 innotescere coepto (4), deinceps multa Ecclesiae Romanae instituta magis magisque improbabant impugnabantque. Ut autem sensim per varias Europae regiones sese propagarant, ita eorum nonnullos in Bohemiam cessisse, variorum scrip-

(1) v. s. *p.* 67.

(2) v. s. *p.* 29. *not.* 1.

(3) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 12b, 13a, 25a.

(4) Conf. P. JAS, in *Disp. Acad. de Valdensium sectâ, ab Albigensibus bene distinguendâ* (Lugd. Batav. 1834). *p.* 55 *sqq.*

scriptorum testimonio traditum est. Sic e. g. PAULUS STRANSKY, Bohemus, narrat: *evenit, ut religiosi quidam ex Galliis Germaniâque profligati* PETRI WALDI *discipuli, viri tum pietate, tum Sacrarum Litterarum scientiâ spectatissimi (anno 1176) in Bojemiam venirent, et, delecto ad Zatecium Launamque domicilio, permultos ex qualis qualis tum adhuc Graecae observantiae incolis familiares sibi facerent* (1). Nec solum in Bohemiâ degisse constat, qui Valdenses dicerentur, sed etiam inter Bohemos fuisse, qui eorum doctrinam sequerentur, atque cum Valdensibus alibi degentibus aliquâ necessitudine conjuncti essent (2).

Sed praeterea multae HUSSI doctrinae cum Valdensium placitis haud parum convenire putabantur. De quâ convenientiâ audiamus THEOBALDUM, ubi, antiquis usus monumentis, narrat (3), HUSSUM *Waldensium doctrinam, quam illi anno Christi* 1160 (4) *tradiderant, imitari, videlicet, Papam non eminere inter ceteros Episcopos et Ecclesiastas, propterea quod inter religiosos nihil differret, maximusque, ex dicto Christi, minimum aequalem haberet.* De HUSSI sectatoribus scribit AENEAS SYLVIUS (5): *Proruperunt in blasphemias — — — ab Ecclesiâ Catholicâ recedentes, impiam Valdensium sectam atque insaniam amplexi sunt.*

(1) *Respublica Bojema, Cap. VI. p.* 271 *sq.* Conff. etiam *Abregé de l'histoire* etc *T. V. p.* 148 *sq.*, ac LENFANT, *Hist. du Conc. de Basle, T. I. p.* 10.

(2) Conf. FLACIUS, in *Catalogo Testium Veritatis p.* 638. Vid. et *Abregé de l'histoire etc. T. V. p.* 154. *coll.* 153.

(3) *l. l. p.* 2. interpretationis Latinae.

(4) Ita quidem THEOBALDUS natales nimis antiquos Valdensibus assignat. Vide *pag. praec.*

(5) *l. l. Cap.* 35. *p.* 103.

sunt. His dictis adjicit nonnulla Valdensium placita, quae si cum quibusdam HUSSI doctrinis comparamus; apparebit, illum, quamvis immerito Valdensibus accensetur, tamen aliquot eorum doctrinas haud adeo abhorruisse (1). Jam vero in Valdenses magno Franco-Galli flagrabant odio. Nec adeo mirum. Nam Franco-Galliae natales debebat secta, cui fama gravia scelera affingebat, nimis facile credita. Deinde Valdenses, paucis duntaxat annis ab ortu exactis, LUCII III, Pontificis Romani, decreto (2), haereticorum nomine, Ecclesiâ exturbabantur, ab eo inde tempore digni habiti, in quos poenis etiam animadverteretur. Accessit, quod jam a Saeculi XII exitu scriptores Franco-Galli et Flandrici, ut EBRARDUS BETHUNENSIS in libro, *Antihaeresis* nomine dicto, ac magis etiam BERNHARDUS, *Abbas Fontis calidi*, in scriptione *contra Valdenses*, et ALANUS DE INSULIS *duobus Libris contra Haereticos sui temporis*, acriter eos peterent (3). Et quanquam in Catharos impugnandos conspirarunt cum Catholicis, atque ipse INNOCENTIUS III, Saeculi XIII initio, de illis, si lenius tractarentur, in Ecclesiam reducendis haud desperabat; tamen haeresis macula iis usque adhaesit; Inquisitionis etiam tribunalibus, a quibus Cathari in Franco-Galliâ damnabantur, in eos saepenumero saevientibus (4). Quid? quod cum Albigensibus, qui haeretici longe pessimi habebantur, haud

(1) Conf. etiam LENFANT, *Hist. du Conc. de Basle T. I. p.* 9 *sqq.*

(2) Apud MANSI, *o. l. T. XXII. p.* 476 *sq.* Vid. quoque JAS, *Disp. cit. p.* 10. *not.* 2.

(3) Conf. GIESELER, *o. c. T. II. P.* 2. *p.* 561 *sqq.*

(4) Vid. PH. A LIMBORCH, *Historia Inquisitionis, cui subjungitur liber sententiarum inquisitionis Tholosanae ab a. Christi* 1307 *ad a.* 1323. Conf. et JAS, *Disp. cit. p.* 10 *sq.*

haud raro permutati sunt, ut adeo miseriae, bello Albigensi Franco-Galliae illatae, partim quoque Valdensibus vitio et culpae darentur (1). Quae cum ita sint, habuerunt procul dubio Franco-Galli, quo eorum odium in HUSSUM incitaretur, quippe cum Valdensibus facere iis visum. Non quidem tanta fuit necessitudo inter hujus viri et Valdensium placita, quantam fama spargebat (2), sed plerique, ut fit, famae credere malebant, quam rem diligentius explorare. Atque omnino Franco-Gallos Husso non parum infensos fuisse, etiam inde intelligimus, quod GERSON aliique Franco-Galli, quamquam de nonnullis doctrinis cum illo consentiebant, ne vel hac consensione permoveri potuerunt, ut benignius de eo judicarent.

§. 7.

Apud Germanos.

SCHROECKH (3) de Germanis, qui in Concilio Constantiensi affuerunt, ita disputat, ut popularium suorum pa-

(1) Vid. de hoc bello *Histoire de la guerre des* ALBIGEOIS in opere: *Histoire de Languedoc. T. III. Preuves p.* 1. *sqq.* MOSHEMIUS, *l. l. Saec. XIII. P.* 2. *C.* 2. § 7. GIESELER, *l. l.* § 87.

(2) Opinionem antiquae illius necessitudinis seriori quoque aetate vulgatissimam fuisse, inde etiam patet, quod ESROM RUDIGERUS, *Pabeperg. Professor* (*olim Witebergensis*), *in Narratiunculá*, a. 1579 conscriptâ, *de Fratrum Orthodoxorum in Bohemiá et Moraviá Ecclesiolis*, omni operâ eam convellere studuit. Inserta est haec narratiuncula JOACHIMI CAMERARII *Historicae narrationi de Fratrum Orthodoxorum Ecclesiis* etc. *p.* 145 *sqq.* Vid. praesertim *p.* 263 *sqq.*

(3) *o. l. T.* XXXIV. *p.* 652.

patrocinium suscepisse videatur. Contendit enim, eos nullo peculiari in HUSSUM odio ductos fuisse, cum damnationis judicium pronuntiarent; quod multo potius suae ipsius pervicaciae acceptum referendum habuerit. Incassum vero hujus sententiae argumenta apud eum quaesieris. Quae et vereor ut afferre potuerit. E contrario Germanos etiam de causâ sibi privatâ HUSSUM inimice insectatos esse, plura admodum probabile reddunt.

Nimirum, inde ab Imperatoris CAROLI IV aetate, ex Scholae Pragensis flore inter Germanos et Bohemos vehemens orta aemulatio et contentio est. Illi igitur hos impedire conati sunt, quominus in artium et disciplinarum studio proficerent, eorumque doctoribus non raro omni operâ se opposuerunt. Quare aliter fieri vix poterat, quin HUSSUM, et Bohemum et flori illius Scholae pro parte virili consulentem, invidiâ quoque prosequerentur; quae facile inde aucta est, quod HUSSUS doctrinae copiâ et dicendi facultate, WENCESLAI etiam judicio, ceteris doctoribus praestaret. Sed maxime illa crevit invidia, ex quo WENCESLAUS agitatam in Scholâ Pragensi de suffragiis ferendis quaestionem ita diremerat, ut Bohemis in Germanorum damnum faveret: quod HUSSO inprimis, nec sine causâ, imputabatur. Itaque Germani, inde iratissimi, Pragâ abierunt (1) injuriam ulturi, simul atque se obtulisset opportunitas. Jam initium fecerunt a dispergendis falsis de HUSSO ejusque doctrinâ rumoribus; alia pervertentes, alia ei affingentes, quae vehementissime odium in eum concitarent. Quo odio quantopere multi incensi fuerint, patet etiam e literis, a WENCESLAO in gratiam HUSSI, cum hic ad curiam Romanam evocatus erat, Joanni XXIII mis-

(1) v. s. *p.* 24. *sqq.*

missis (1), quibus pro HUSSO, ne Romae se sistere cogeretur, propterea deprecabatur, quod *Magister* JOANNES HUS *non posset pertransire et venire ad Romanam Curiam propter inimicitias capitales, quae in viis sibi erant praeparatae.* Et sane HUSSUS Germanis, praecipue Bohemorum juribus defendendis, ut nemo alius, restiterat. Quin in ipso etiam Concilio Germanos invadebat, eos quidlibet sibi arrogare dicens et dominandi in omnes libidine flagrare; quod saepe ostendissent in Bohemiâ, quare et ibi male habiti indeque pulsi essent (2). Cujusmodi dictis profecto antiquae Germanorum in HUSSUM irae, si aliquatenus forsitan deferbuissent, vehementius iterum exardescere debebant. Tanta autem erat Germanorum in Concilio auctoritas, ut eorum de HUSSO opinio ad ejus mortem decernendam certe non mediocriter valuerit.

§. 8.

Commune Clericorum in Hussum odium.

Praeter causas, in ipsis Patribus Constantiensibus reperiundas, quas jam attulimus, item multum ad HUSSUM condemnandum contulit commune illud odium, quo in eum ferebantur plurimi cujuscunque tandem gentis Clerici. In cujus odii fontes si inquirimus, eos ejusmodi fuisse deprehendemus, ut HUSSO in honorem, adversariis in opprobrium cedant.

Scilicet HUSSUS inter depravatos aetatis suae Clericos vitae integritate, lucidi sideris instar, insigniter eminebat; atque NICOLAO DE CLAMENGIS plane assentiens, The-

(1) v. s. *p.* 28.

(2) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 86b.

Theologo incipiendum esse *actu*, id est, vitâ ad Evangelii praecepta instituendâ (1), nihil prius et antiquius sibi esse putabat, quam ut doctrinae suae vim et efficacitatem sincero virtutis studio ostenderet. Honorificum hanc in rem est testimonium, quod de eo, aeque ac de amico HIERONYMO, dedit Schola Pragensis, declarans: *ejus vita, mox ab annis teneris — — ita fuit moribus sanctis instituta, ut de eo culpam etiam unius criminis nemo nostrum juste sciat publice profiteri* (2). Atque haec morum probitas jus quoddam ei praebere videbatur dissolutam Clericorum vitam reprehendendi, quippe qui in virtutem, cujus studium aliis commendabant, graviter ipsi peccarent. Hoc igitur jure, quam primum pro concione dicendi munus capessivisset, sedulo usus est, severior tamen sui ipsius quam aliorum castigator (3). Deinde aliis etiam modis HUSSUS se Clericis opposuit. Certe multis eorum placere vir non poterat, in Indulgentiarum mercaturam, a BONIFACIO IX, et turpius etiam a JOANNE XXIII actam (4), scriptis quoque vehementer invectus. Siquidem vero illi, SIGISMUNDO coeptum HUSSI probante, nec improbante WENCESLAO, ita impedirentur, ne hoc ei tanquam crimen objicerent, magis quoque eum odio habere et vindictam cogitare inceperunt. Porro Bohemorum Clericis, qui GREGORIO XII addicti erant, non valde se commendavit, cum populo auctor esset, ut, Pontificis par-

---

(1) Vid. THEOD. DE NIEM, *de vitâ ac fatis Constantiensibus* JOANNIS XXIII. *Lib. III. Cap.* 34. apud VON DER HARDT, *o. l. T. II. P.* 15. *p.* 449 *sqq.* Cf. C. ULLMANN, JOH. WESSEL etc. *p.* 19.

(2) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 81[b] *sqq.*

(3) HUSSI *Hist. et Monum. T. II. p.* 25[a] *sqq.*

(4) v. s. *p.* 23, 30.

partibus relictis, Cardinales sequeretur (1). Tantum denique abfuit, ut postea, majore indulgentiâ usus, Clericorum favorem recuperare conaretur, ut eorum perversitatem, quamdiu posset, viriliter increparet (2). — Quid mirum igitur, si plurimi Clerici, praesertim illi, qui haud optimae notae essent, HUSSUM, ne quidem in Concilio iis obsequentem, ac si Civitatis et Ecclesiae pestis esset, e medio tollere studerent? *Si enim hi*, ut ait SEYFRIED (3), *qui judicis officio funguntur, accusantem* (accusatum) *odio prosequuntur, experiunturque quod accusans* (accusatus) *male de ipsis locutus fuerit, prono affectu et voluntate in damnationem ruunt.* — Sunt etiam, qui opinentur, nonnullos pecuniae vi corruptos fuisse, ut in HUSSI condemnationem cum reliquis conspirarent: quod tamen, idoneis deficientibus testimoniis, probari nequit (4).

§. 9.

---

(1) v. s. *p.* 23.

(2) v. s. *p.* 32, 3.

(3) *l. l. p.* 78.

(4) Ita LAURENTIUS BYZYNIUS, *Cancellarius novae urbis Pragensis sub* WENCESLAO *Imperatore*, in scripto: *Origo et diarium belli Hussitici ab anno* 1414 *ad* 1423 apud LUDEWIGUM *l. l. T. VI. p.* 135, de hac re quidem dicit: *Clerus perversus praecipue in regno Boëmiae et marchionatu Moraviae, qui condemnationem ipsius* (HUSSI) *contributione pecuniarum et modis aliis diversis procuravit* etc.; *p.* 150: *clerus perversus regni Bohemiae et marchionatus Moraviae*, *et praecipue Episcopi, Abbates, Canonici, Plebani et Religiosi ipsius fideles ac salutiferas admonitiones, adhortationes, ipsorum pompam, symoniam, avaritiam, fornicationem vitaeque detestandae abominationem detegentes, ferre non valendo pecuniarum contributiones ad ipsius extinctionem faciendo, procurarunt* etc. Sed haec et similia, ab HUSSI amicis et fautoribus prolata, iniquiorum loco suspicionum, criminationumque, quibus necis HUSSI auctoribus invidiam conflarent, non immerito forsitan habueris.

§. 9.

Inimicorum singularium, quos Hussus habebat, simultas.

Non parum quoque HUSSO nocuit *singularium, quos habebat, inimicorum simultas.* Quod ut ostendatur, non repetam, quae supra jam de hominibus ei adversariis generatim allata sunt. Si vero speciatim attendimus ad singulares ejus inimicos, primum in censum veniunt duo, qui in Concilio aderant, Bohemorum legati, alter, Episcopus Luthomislensis, Theologiae Doctor Moritzius, alter. Quo autem in HUSSUM animo posterior fuerit, non satis liquet. Priorem in eum non valde propensum fuisse, inde etiam effici posse videtur, quod, lectâ in Concilio Bohemorum Epistolâ (1), accusationes de haeresibus, quibus Ecclesia Bohemia infecta esset, deque confusis plane in Bohemiâ rebus divinis testimonio suo universe confirmavit (2). Ejusmodi enim testimonium in damnum HUSSI, quippe qui Bohemus erat et haeresis per Bohemiam disseminatae insimulatus, cedere debuisse, non difficulter perspicitur. — Verum infelicius etiam HUSSO accidere debuit praesentia JOANNIS HOFMANNI, quem studiosorum, animo iratissimo Pragam relinquentium, ducem fuisse, supra vidimus (3). Acerrimus igitur iste viri optimi hostis, ac de acceptâ olim clade ulciscendâ meditans, praeterea anno 1413 Episcopus Misnensis factus, atque illustrem inter Patres con-

(1) v. s. *p.* 43.

(2) Conff. HUSSI *Hist. et Monum. T. p.* 8ª *sq.* et VON DER HARDT, *o. l. T. IV. P.* 3. *p.* 209 *sq.*

(3) *p.* 25.

congregatos locum tenens, *infaustum*, inquit MOSHEMIUS (1), *sidus* HUSSO *erat in Concilio*. — Huic non minus infensus erat Magister ANDREAS BRODA, Ecclesiae Pragensis Canonicus. Is igitur ut anno 1409 in WICLEFUM acriter invectus erat (2); ita HUSSUS in partes suas eum ducere frustra conatus est (3). Nec BRODA modo hunc ex Ecclesiâ ejectum esse approbabat (4); quem etiam non diu antequam Constantiam proficisceretur cum de aliis haeresibus, tum imprimis de negatâ Transsubstantiationis doctrinâ vehementer et perfide accusavit (5).

Sed non postremo certe loco commemorandi fuerant STEPHANUS PALETZ (6) et MICHAËL DE CAUSIS. De quibus paulo etiam uberius dicendum videtur.

PALETZ igitur, a teneris inde HUSSI socius et amicus, doctus haud dubie vir fuit, egregiis ingenii dotibus praeditus. Itaque facile perspiciebat, multis Ecclesiam laborare vitiis, multa item in Clericis esse reprehendenda, ut adeo variis de rebus HUSSO plane assentiretur. Mutuae tamen discordiae semina inter eos orta sunt ex Indulgentiarum mercaturâ. Bullam nempe, a JOANNE XXIII de eâ editam, ut HUSSUS impugnavit; ita vehementer defendit PALETZ, Pontifici, qui beneficia in eum contulerat, morem gerere malens, quam sibi constare animique persuasionem sequi. Nam quantopere coeptum Pon-

(1) *l. l. Saec. XV. P. 2. Cap. 2. § 7. litt. a.*

(2) Vid. COCHLAEUS, *l. l. p.* 16 *sq.*

(3) HUSSENS *leben, l. l. p.* 173.

(4) Vid. ejus *Epistola*, de hac etiam re *ad* HUSSUM scripta, apud COCHLAEUM, *l. l. p.* 42.

(5) Vid. LEHMANN, *script. laud. p.* 132 *sq.* 135 *sqq.*

(6) Alii aliter ejus nomen scribunt. Nos quidem HUSSI *Historiam et Monumenta* secuti sumus.

Pontificis aversatus est, in aliquo etiam convivio, HUSSO aliisque praesentibus, declaravit, eum illius Bullam in honestum incurrere profiteretur (1). Praeterea se multas HUSSI doctrinas molestius ferre jam ante Concilium Constantiense congregatum patefaciebat, variis scriptis se HUSSO opponens (2): e quibus tulit aetatem quod *Anti-Hussi* nomen gerit (3). Deinde non tantum effecit, ut HUSSUS, Constantiae praesens, coram Pontifice et Cardinalibus se sistere juberetur (4) et in carcerem traderetur (5); sed varias etiam in Concilio contra eum attulit accusationes, ex ejus scriptis petitas (6). Ita autem agens, dissimulare sibi non poterat, se ab animi candore discessisse. Quare in Concilio testatus est, se non ex odio et malevolentiâ HUSSUM accusasse, sed jurejurando obstrictum, quo Ecclesiae strenuum se et acrem omnium errorum adversarium fore pollicitus esset (7). Neque PALETZIUM familiarem antiquum absolute perdere voluisse et ad meliores omnes animi sensûs obduruisse, illius studia et lacrymae, de qui-

(1) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 4b. Conf. GILPIN, *l. l. p.* 188 *sq.*

(2) Opposuit HUSSUS scriptis illis *Responsionem suam ad scripta M.* STEPHANI PALETZ, reperiundam in *Hussi Hist. et Monum. T. I. p.* 255b *sqq.*

(3) Composuisse videtur hoc scriptum non diu ante coactum Concilium Constantiense; anno forsitan 1413. Vid. VON DER HARDT, *o. l. T. IV. P.* 1. *p.* 21.

(4) v. s. *p.* 40.

(5) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 5b.

(6) PALETZ, ait HUSSUS, *illa antiqua, quae loquuti sumus ante multos annos, articulat.* HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 72b. Vid. et LEHMANN, script. laud. *p.* 147 *sqq.*

(7) v. s. *p.* 51 *sq.*

quibus antea retulimus (1), testantur. Praesertim igitur Pontificis obsequio, et magis etiam vehementiori doctrinae Catholicae, quam putabat, tuendae fervore ad HUSSUM hostiliter aggrediendum incitatus est. Quo fervore abreptus, cum septem Theologis Pragensibus, quorum caput erat, in scriptionem contra HUSSUM edendam conspirabat (2). Ita autem molitionibus suis ad veteris amici perniciem multum contulisse certissimum est. Quapropter jure meritoque de eo HUSSUS dicit: *Nullus mihi plus nocet quam* PALETZ, et alio loco: *directe laborat ad condemnationem meam;* utrique dicto adjiciens: *parcat sibi omnipotens Deus! Deus sibi parcat et me confortet* (3)*!*

Alter vehemens HUSSI adversarius fuit MICHAËL DE CAUSIS (4); qui astutiâ magis quam doctrinâ valebat, homo sceleratus merito vocandus. Nam, ut unum hoc afferam, a WENCESLAO ingentem acceperat pecuniae summam, quâ ad aurifodinam in loco, cui nomen Giloroy, restaurandam uteretur; at, cum post aliquot dies animadvertisset, se in re desperatâ versari, cum pecuniâ, quae restabat, Romam aufugit (5). Hunc igitur, si quem alium, HUSSI adversarii facile donis et promissionibus corrumpere potuerunt. Sed idem ille, in Pontificis comitatu, HUSSO jam ad Concilium evocato, Constan-

(1) *p.* 53.

(2) Hanc scriptionem HUSSUS refellere studet in *Tractatu de Ecclesiâ Cap.* 12 *sqq.*

(3) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 74b *sq. Epist.* 54. *p.* 66a. *Epist.* 28.

(4) In Manuscripto, *a* LEHMANNO edito, *script. laud. p.* 147 MICHAEL DE CAUSIS appellatur *olim plebanus sancti* ADALBERTI, (nempe Pragae), *instigator tunc* (anno 1414) *contra Magistrum* JOHANNEM HUS *in Curiâ Romanâ.*

(5) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 4b. GILPIN, *l. l. p.* 190.

stantiam venit, ut tantum ei, quantum posset, damni afferret. Cui consilio quam egregie satisfecerit, supra diximus (1). Id autem intererat hunc inter HUSSI adversarium et PALETZIUM, ut hic ex HUSSI libris editis sua adversus eum depromeret, ille maxime ex haud divulgatis ejus Epistolis venenum sugeret. Hinc factum est, ut HUSSUS amicos moneret, MICHAËLEM DE CAUSIS Epistolas explorare (2), eosque adhortaretur, ut in simili re ab isto homine sibi caverent (3). Nec satis DE CAUSIS habuit, HUSSUM accusare; sed simul atque hic in carcerem conjectus erat, res ille sic disposuit, ut nulli, ne quidem custodum uxores, intromitterentur (4). Quin totus eo contendit, ut viri perodiosi aerumnas quam maxime augeret. Harum similiumque rerum testis fide dignus est ipse HUSSUS (5), qui, quamvis injurias, a DE CAUSIS sibi illatas, toto animo persentisceret, tamen precibus ardentissimis Deo eum commendare potuit (6). Sed tetrum humillimumque hominis animum satis ostendunt verba, quibus, praesente et audiente HUSSO, usus est: *Nos cum Dei gratiâ istum haereticum paulo post comburemus, propter quem ego multos florenos expendi* (7).

SEC-

---

(1) Conff. *p.* 40, 44 *sq.* 51 *sq.*

(2) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 72b. *Epist.* 48.

(3) *Ibidem p.* 67a. *Epist.* 30.

(4) *Ibidem.*

(5) *Ibidem p.* 72b. *Epist.* 48.

(6) Vid. *Epist.* 30 mox *laud.*, in quâ HUSSUS et haec dicit: *Scito autem, quod per istud scriptum non opto vindictam de eo; eam enim commisi Deo, et rogo Deum pro ipso affectanter.*

(7) *Ibidem.*

SECTIO II.

CAUSAE, IN IMPERATORE SIGISMUNDO POSITAE.

Ait ROYKO (1), necem HUSSI minus Patribus congregatis quam SIGISMUNDO tribuendum esse, cujus iniquitas, satis perspicue declarata, incitaverit illos ad sententiam damnatoriam dicendam. Quâ in re ei non assentimur, quippe existimantes, Constantienses multo potius Imperatorem huc adegisse, ut eorum votis obsequeretur. Tamen ab eo sortem HUSSI maxime pependisse, satis perspicuum est. Nam etsi totum quoque Concilium, SIGISMUNDI impulsu congregatum (2), ejusque auctoritate, post clandestinam JOANNIS XXIII fugam, conservatum (3), HUSSI damnationem voluisset, sed ejusdem tamen liberationem Imperator decrevisset, hujus sententia, quidquid Patres sacrosancti obniterentur, tandem, opinor, praevaluisset. Merito igitur inquirimus, cur Imperator Concilio, HUSSI condemnandi cupido, non resisteret, quin prius quodammodo quam illud ipsum, virum suspectum damnaret (4). Cujus rei causae tam ex SIGISMUNDI animo quam rerum publicarum consideratione derivandae nobis videntur. De utroque paucis.

§. 1.

(1) *o. l. T. II. p.* 220. *litt. ddd.*

(2) v. s. *p.* 8.

(3) VON DER HARDT, *o. l. T. IV. P.* 3. passim.

(4) Vid. dictum SIGISMUNDI supra *p.* 49 *sq.* excitatum. Cf. HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 68b *sq. Epist.* 34.

§. 1.

Causae, ex ipsius animo deducendae.

Sigismundus, a quo hussus, antequam Constantiam venerat, securitatis Literas acceperat (1), inique omnino et perfide egisse videtur, cum eum nihilominus Concilii, hoc est, ferme inimicorum arbitrio relinqueret. Ne quis tamen putet, Imperatorem husso hanc promissionem dedisse, ut mox virum securum perderet. Quod nonnulli Bohemi quidem suspicati sunt, qui popularem, in Concilium profecturum, monebant, ne sigismundo confideret, dicentes: *ipse te dabit inimicis* (2). Obstat vero agendi ratio, quam Imperatorem primum iniisse novimus. Nam si hussi perniciem jam antea decrevisset, in promissae incolumitatis documento (3) mentem tam diserte, atque fecit, vix, opinor, enuntiasset. Deinde, cum Patres congregati hussum, inscio Imperatore, in carcerem abduci jusserant, hic graviter, nisi illum mox in libertatem vindicarent, se carcerem manu violentâ infracturum esse, iis comminandum curavit (4). Quin etiam, paulo antequam hussus in Concilium produceretur, in ejus favorem intercessit, summamque prohibuit ne Patres committerent injustitiam, ut hominem inauditum damnarent (5). Itaque si recte judicabimus, cur nihilominus hussum in hostium potestatem dederit, imprimis at-

(1) v. s. *p.* 35 *sq.*

(2) hussi *Hist. et Monum. T. I. p.* 68[b]. *Epist.* 34.

(3) Vid. illud supra *p.* 36.

(4) v. s. *p.* 41.

(5) v. s. *p.* 46 *sq.*

attendere nobis opus est ad illam animi mutabilitatem adeoque infirmitatem, quâ SIGISMUNDUM fuisse, plurimae res, ab eo inceptae quidem, minime vero consummatae, testantur. Hac igitur mutabilitate factum est, ut facile a proposito discederet, atque in bono, quod primum serio cuperet, perficiendo parum constans esset. Fidem spoponderat HUSSO, et servare sibi proposuerat. At urgent HUSSI inimici, oportere ajentes, ut in rebus divinis Concilio libere agendi facultas sit (1). Objicienti Imperatori, fidem datam fallere nefas esse, more aetatis respondent, haeretico non esse solvendam fidem; qui enim Deo praestandam violet, indignum esse, cui homines eam servent. Jam his argutiis, quibus Literae, a FERDINANDO, Arragoniae Rege, 18 Aprilis anno 1415 ad eum missae, eadem suadentes, accedunt (2), firmiter resistere non audet SIGISMUNDUS. Concedit igitur quod petunt. At spes eum tenet, fore, ut HUSSUS objectos sibi errores abjuret. Hoc igitur ut faciat secundum formulam propositam, vicibus iteratis eum adhortatur (3). Sed ad irritum cadunt conatûs omnes; ac neci proinde traditur homo, nullius criminis culpam sustinens, quem contra omnem adversariorum impetum defendere debuerat Imperator. — Quod autem diximus, sperasse SIGISMUNDUM, fore, ut HUSSUS revocaret, temere dictum non est. SIGISMUNDO nempe religio, quam factis proterve conculcabat (4), minus curae cordique erat. Er-

---

(1) VON DER HARDT, *o. l. T. IV. P. 2. p.* 32.

(2) Vid. hae Literae in SCHELHORN's *Ergözlichkeiten aus der Kirchen-Histor. Litteratur. T. I. p.* 217 *sqq.*

(3) Conff. *p.* 49, 52 *sq.*

(4) Specimina dabit PELZEL in Opere, saepius a nobis citato, *Lebensgesch. u. s. w.* tum ubi alias res, inique a SIGISMUNDO perpetratas, narrat, tum speciatim, ubi tradit de modo, quo fratrem WENCESLAUM identidem tractavit.

Ergo vix sibi in animum inducere potuit, HUSSUM religionis causae adeo addictum esse, ut vel ad mortis poenam effugiendam renuntiare nollet doctrinis, de quibus perinde fere esse, quomodo quis sentiret, facile putavit. Et ne quidem antequam HUSSUS ultimo supplicio traditus erat, opinionem plane deposuisse videtur, eum tandem ad saniorem mentem rediturum, nec pertinacem mansurum (1). Quo magis vero videbat, se opinione suâ falli, eo firmius sibi persuadere studuit, viro audaci, qui vitam perdere vellet, mediis in flammis meritas insaniae poenas luendas esse. Tamen eo non pervenisse putandus est, quin fide HUSSO datâ identidem pungeretur (2). Sed solatio erat tritum sermone dictum: *haereticis fides non servanda.* Si denique SIGISMUNDUM, combusto HUSSO, conscientia momorderit, Constantienses decreto, Sessione XIX generali 23 Septembris anni 1415 facto, quo dictum istud vulgatum tantum non confirmarunt, alteroque *de salvo conductu* HUSSONIS, speciatim in Imperatoris defendendi gratiam priori adjecto, Principem illustrissimum puerili scilicet illâ sollicitudine egregie liberarunt (3). Utrumque autem illud decretum, cuidam necessitati attribuendum, satis arguit, de communi etiam opinione eo tempore non ita planum fuisse, quod hodie plures contendere solent, SIGISMUNDUM nempe, Concilii arbitrio HUSSUM relinquentem, vel fidem prorsus non fregisse nec aliter agere debuisse, vel eum in hac re saltem longe excusatissimum habendum esse.

§. 2.

(1) Cff. quae de conatibus LUDOVICI et equitum Magistri p. 61 diximus.

(2) v. s. *p.* 58.

(3) Vid. utrumque decretum apud VON DER HARDT, *o. l. T. IV. P.* 8. *p.* 521 *sqq.*

§. 2.

Causae, ex rerum publicarum consideratione ortae.

Sed causis, ex ipso Imperatoris animo deducendis, se adjungebant aliae, quas rerum publicarum consideratio ei facile suppeditavit. Scilicet, cum regnare incepit SIGISMUNDUS, flebilis erat Ecclesiae conditio, quippe trium Pontificum factionibus discerptae et dilaceratae (1). Deplorandae igitur illius conditionis effectum cum aliae regiones, tum etiam Bohemia, ita experiebantur, ut Imperator eam ante omnia in melius mutandam judicaret. Quibus studiis ne excideret, Concilio sibi opus esse vidit, cujus auctoritate Ecclesiae, emendatione in Capite et membris institutâ, quies optata redderetur. Itaque JOANNES XXIII, SIGISMUNDI hortatu, illud convocavit (2). At Concilio coacto, votis Imperatoris obstare videbatur HUSSUS, quem Patres congregati odio habebant. Hi autem odium, quo in HUSSUM ferebantur, facile in SIGISMUNDUM transtulissent, si Imperator, ut inceperat, viri haeresis notâ jam signati constanter se fautorem praestitisset. Eligendum igitur ei erat alterutrum, vel fidem HUSSO datam frangere, vel Patrum odia in se quoque convertere et sic a proposito declinare. Prius igitur posteriori praeferens, virum, quem non modo Constantiam venire jusserat, sed cui etiam salutem promiserat (3), adversariis tradidit, brevique post, sententiam, quâ capitis ille damnabatur, auctoritate suâ confirmavit.

Praeterea non temere forsitan dixeris, Imperatorem invasisse metum, ne HUSSUS, liberalioribus quibusdam prin-

(1) v. s. *p.* 5 *sqq.* (2) v. s. *p.* 8. (3) v. s. *p.* 35 *sq.*

principiis spargendis, Reipublicae etiam damnum afferret. Solet enim sentiendi ratio de rebus Sacris et Politicis communi aliquo necessitudinis vinculo cohaerere. HUSSUS saltem in Bohemiâ, praesertim inter nobiles, multos nactus erat fautores et amicos. Monitis item et adhortationibus satis effecerat, ut Bohemi cupidine plura Ecclesiae instituta, vitiorum nomine, tollendi magis magisque inflammarentur, et jura, quae haberent, adversus varia Germanorum privilegia defendere inciperent. Quid ergo, si Bohemi, res novas molientes, continuo ulterius progrederentur, a rebus Sacris immutandis ad Politicas pergerent, ita sensim ipsi Imperatori obedientiam negarent, et omnes tandem regiminis Ecclesiastici et Politici habenas relaxarent? Haec igitur cogitatio si fortasse SIGISMUNDUM subiret, eâ quoque impelli potuit, ut hominem periculosum e medio sublatum vellet, atque ita Bohemiae opinatum perturbationum ibi concitatarum auctorem et impulsorem adimeret. Sed nimis urgere nolo, Imperatorem hujusmodi incitamentis permotum fuisse, ut in HUSSI mortem cum Concilio conspiraret. Nam sic ipsum Concilium, Pontificibus se opponens, simul rerum novarum, quas contra Rempublicam meditaretur, suspectum habere potuit. Attamen quae Patres Constantienses, hortatu imperatorio ad Sacra emendanda congregati, et HUSSUS, suo marte eodem contendens, moliebantur, non temere inter se confundenda sunt. Cum praeterea Principes, ubi res, quam quis agat, imperium leviter vel tangere videatur, suspicacissimi esse consueverint, a proferendâ suspicione, in quam SIGISMUNDUS, HUSSUM et liberiores Bohemos cogitans, facile incideret, abstinere nolui (1).

SEC-

(1) Cf. universe W. BROES, *de Kerk en de Staat in wederzydsche betrekking.* *T. II. p.* 154. *sqq.*

SECTIO III.

CAUSAE, IN HUSSO IPSO INVENIENDAE.

Superest, ut causas, cur HUSSUS ultimo supplicio affectus sit, quatenus in ipso illo viro inveniantur, excutiamus. Quarum tres imprimis commemorandae sunt; *inconcussam* dico *animi firmitatem*, *intrepidum mortis contemtum*, *maximum denique veri profitendi studium.*

§. 1.

Inconcussa animi firmitas.

Si primum *inconcussam animi firmitatem* in HUSSO laudamus, ordimur ab eo, quod nobis quodammodo concedunt, qui minus benigne de eo sentiant. *Pertinaciam* nempe ei Imperator objecit (1). Cum Imperatore consenserunt Patres Constantienses (2). Eandem accusationem repetiverunt multi recentioris aetatis scriptores, cum Protestantes, in quibus etiam SCHROECKH (3), tum imprimis Romano-Catholici. Et sane HUSSUS in Concilio, quod inficiari non poterat rite et legitime congregatum esse, ad errores, qui ei tribuebantur, confitendos et rejiciendos vocatus, Patribus morem gerere recusavit, perstititque in sententiis, quas olim longe lateque propagaverat. Res igitur ipsa loquitur, ita se gessisse HUSSUM, ut odium aliorum excitaret, aliorum intenderet.

At

(1) v. s. p. 49.

(2) v. s. p. 71 sqq.

(3) v. s. p. 108 sq.

At vero haec non *pertinacia* fuit, sed animi *firmitas* summopere praedicanda. Ille enim solus pertinax dicendus est, qui praefracte tenet opiniones, quas rationibus et argumentis validis redargui, negare ipse nequit. Atqui nemo probaverit, hujusmodi quid in HUSSUM cadere. Quod enim nonnulli (1) dicunt, eum, errorum et haeresium convictum, nihilominus in iis perseverasse, illud falso dicunt, nisi statuas, idem esse *accusari* et *convinci*. Declararunt quidem Constantienses et tanquam de tripode pronuntiarunt, hominem istum haereticum esse. Itaque postularunt ab eo, ut revocaret. Nihil aliud ei permiserunt. Ille vero voluit, ut Libris Sacris convinceretur, si a vero discessisset. Quod si fieret, ad sententias suas qualescunque revocandas paratum se perpetuo declaravit. Haec igitur si attendimus, jure meritoque HUSSUS a nobis habebitur vir propositi tenax, et usque constans, quales rarius terra vidit, et dignissimus sane, qui maximis idcirco laudibus efferatur. Quin ne pertinax quidem dicendus est, etiamsi pertinaciam eodem interpretamur modo, atque explicaverunt nonnulli, qui in Concilio adfuere. Audiamus GERSONEM: *Dicitur*, inquit, *pertinaciter quis tenere aliquid, quando non est paratus corrigi, vel non quaerit cum sollicitudine veritatem* (2). Audiamus item JOANNEM BREVISCOXAM, statuentem: *Pertinax in fide est, qui persistit in errore aut dubitatione circa aliquam veritatem Catholicam, quem errorem, vel dubitationem, de necessitate salutis, tenetur dimittere.* — — *Et si quaeratur, quando igitur tenetur errans errorem suum dimittere; respondetur, quod errans, quantum-*

cum-

(1) Ita V. C. FR. LONG A CORIOLANO in *Summ. Conc.* p. 862.

(2) Opp. T. II. p. 264. Conff. jam allata GERSONIS aliorumque dicta *p.* 86 *sqq.*

cunque errat contra fidem, non est censendus pertinax, nec haereticus, si semper paratus est corrigi, et errorem suum dimittere, quando scilicet legitime fuerit correctus (1). Quae profecto satis docent, illius aetatis homines, dummodo sine irâ et studio rem tractassent, HUSSUM pertinacem vocaturos non fuisse. Sed ferre non poterant virum, cujus animo tantum firmitatis inerat, ut nullis aut comminationibus aut machinationibus permoveretur ad locum relinquendum, quo standum esse, rationibus gravissimis sibi persuasum haberet. Illustrissimam igitur constantiae virtutem, PLINII (2) et aliorum ad instar, qui antiquissimos Christi sectatores inique tractabant, pervicaciam appellarunt et inflexibilem obstinationem, ultimo supplicio plectendam.

§. 2.

Intrepidus mortis contemtus.

Ut HUSSO temere pertinaciae crimen affinxerunt; sic falso ei exprobrata est insana sibi comparandae martyrii gloriae cupido (3). Meminimus quidem, eum, a Monachis primum institutum, in historiâ Martyrum lectitandâ mirifice sibi placere. Meminimus item, eum hac lectione stimulari aliquando ad periclitandum, num ad dura quaedam constanter perferenda par ipse et idone-

(1) In GERSON. *Opp. T. I. p.* 839.

(2) *Epist. Lib. X. Epist.* 97. in quâ de hominibus Christianis suae aetatis ad TRAJANUM Imperatorem scribit: *Perseverantes duci jussi. Neque enim dubitabam, qualecunque esset quod faterentur, pervicaciam certe et inflexibilem obstinationem debere puniri.*

(3) Ita COCHLAEUS, aliique, in HUSSUM iniqui.

neus esset (1). Sed nihil inde sequitur, quam fortitudinem virorum, qui pro Dei causâ mortem oppetere haud metuerant, tanti ab eo esse habitam, ut, si eodem unquam in discrimine versaretur, eos imitari cuperet. Quod quam longe absit a martyrii laudibus temere expetendis, nemo est, qui non intelligat. Utique omnis agendi ratio, quam HUSSUS inde a juventute iniit, perspicue docet, eum ab istiusmodi vanitate alienum fuisse. Inimicorum quoque iram et odia tantum abest ut de industriâ excitaverit, ut ea, quantum sineret conscientia, placare studuerit. SBINCONIS etiam jusso obedire non recusans, scripta WICLEFI, quae possidebat, illi tradidit (2). Si quis autem dicat, HUSSUM, quamvis sortem flebilem praesagiret (3), nihilominus Constantiam profectum esse; ille ne sic quidem probaverit, eum temere et gloriae inanis captandae causâ caput periculis objecisse. Quo itinere suscipiendo HUSSUS multo potius acceptis Imperatoris et Concilii mandatis morigeratus est. Ita certe se mortem non timere ostendit. Nemo tamen HUSSO dedecori esse putabit, quo LUTHERUS deinde omnes, quotquot animi excelsitatem magni facere didicerant, ad sui admirationem convertit, cum Wormatiam vocatus, ubi maxima sibi vitae pericula imminere probe sciebat, nihilominus, spretis periculis, sed Christo fretus, abiret, animum fortissimum, nec diabolum nec socios metuentem, etiam dicto notissimo egregie declarans (4). Praeterea HUSSUS iter sus-

(1) v. s. *p.* 17. *sq.*

(2) v. s. *p.* 68.

(3) v. s. *p.* 37.

(4) Monere vix opus est, me dictum respicere hoc: *Und wenn so viele Teufel zu Worms wären, als Ziegel auf den Dächern, so wollt' ich doch hinein.* Exstat illud dictum,

suscepit haud sine spe, fore, ut salvus et incolumis rediret. Nam Imperator fidem candide interposuisse videbatur. Inquisitor NICOLAUS et Nobiles Bohemi testimoniis suis causam HUSSI tuebantur. Hic porro ex duabus Orationibus sacris, quas sibi proposuerat Constantiae habere, praesertim e priore (1), faustiora augurabatur, non dubitans item, quin sui defendendi sibi locus daretur. Quâ defensione opinabatur, se id certe effecturum esse, ut nonnullos, qui in Concilio adessent, in aequiorem de se sententiam adduceret (2). Nec tam abjecte de Patribus congregatis sentiebat, ut vereretur, se inauditum mortis atrocissimae supplicio affectum iri. Postquam autem Constantiam advenerat, ita se gessit, ut et dicta et scripta ejus nihil plane referrent, quod argueret hominem fanaticum, victimarum more occumbere cupientem (3). In congressibus publicis et privatis paratum se praestitit ad placita sua exponenda, et argumentis maxime ex Libris Sacris petitis vindicanda. Saepe etiam de rebus divinis leniter, placide, sedate, atque omnino ita locutus est, ut in ejus sermonibus ne levissima quidem cerebri male sani aut mentis concitatae umbra appareret. Tantum denique abest, ut inimicis provocandis in mortem involaverit, ut re-

pre-

Latine redditum, in *Actis Reverendi Patris* D°. M. LUTHERI — — *Wormantiae*, in ipsius *Operibus* (Witebergae *a.* 1562.) *T. II. p.* 163b. Vidd. de eo, atque omnino de LUTHERO, Wormatiam proficiscente, ibique in Comitiis praesente, praeter alios, SCHROECKH, *Kircheng. seit der Reform. T. I. p.* 261 *sqq.* P. MARHEINEKE, *Geschichte der teutschen Reformation* (edit. a. 1831.) *T. I. p.* 251 *sqq.* K. R. HAGENBACH, *Vorlesungen über Wesen und Geschichte der Reformation u. s. w. T. I. p.* 226 *sqq.*

(1) v. s. *p.* 39 *sq.*

(2) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 12b *sq.*

(3) *o. l. T. I. p.* 69a. *Epist.* 36.

prehenderet etiam amicos, qui scriptum quoddam, quo illorum animi exacerbari possent, iis tradidissent (1), ac postea declararet, se gaudere, quod similis scriptio in occulto lateret (2). Ceterum viriliter mori maluit, quam ab eo, quod rectum et honestum habebat, vel transversum unguem desciscere, hominibusque humiliter obsequendo conscientiam vitae bene actae contaminare. Itaque verbis factisque intrepidum illum ostendit mortis contemtum, quo major quidem et admirabilior ipse erat, sed adversariis odiosior, ut nec tempori neque labori parcendum hi judicarent, antequam de medio sublatus esset. Ille vero beatitatis, quâ MACCABAEOS, ELEASARUM aliosque Martyres potitos sibi proponebat, spe atque exspectatione glorians et exsultans (3), ne dirissimorum quidem formidine cruciatuum se capi passus est, sed eodem, quo inceperat, pede usque processit, ac rogum tandem, quem ei, ipso die natali, accendebat hostium internecinorum immanitas, fortitudine heroïcâ, imo Christianâ adscendit, animum fidenter Deo committens.

§. 3.

Veri profitendi studium.

Eundem effectum, atque inconcussa animi firmitas et junctus cum eâ intrepidus mortis contemtus, habuit denique summum, quo HUSSUS ardebat, veri profitendi studium. Cupiditate veri reperiendi jam a teneris mirabiliter flagraverat. Quae aucta multo magis quam im-

(1) *l. l. T. I. p.* 69b *Epist.* 37.
(2) Vid. *Epist. laud.*
(3) *l. l. T. I. p.* 70b. *Epist.* 41.

imminuta est, postquam in Scholâ Pragensi Doctoris Theologiae honores adeptus erat. Exemplo sit industria, quam in WICLEFI scriptis pervolvendis, lectitandis manuque adeo diurnâ et nocturnâ versandis posuit (1). Verum autem, quod reperisse sibi videbatur, non silentio premendum, sed cum aliis communicandum existimavit, ut sive dicendo sive scribendo hominibus veriores rerum praesertim divinarum notitias afferret. Verbo dicam, nulla ei prior et antiquior erat cura, quam eo maxime conferendi, ut veritas Divina in terris regnaret. Gravissimum igitur in pectore ferebat incitamentum, se tum variis injuriis atque malis, ex veri propagandi amore Pragae sibi illatis, fortiter subjiciendi, tum iter illud Constantiense suscipiendi, quod homines vulgares detrectaturi fuissent, sed ille idcirco etiam faciendum sibi censuit, ut se capitis pericula dandae dicendi opportunitati quae de Religione sentiret, posthabere ostenderet. — Nec singulari, quo erat, animi candore tantum impellebatur, ut amicos, si reprehendendi viderentur, serio et sine fuco de vitiis deponendis admoneret; sed idem ille animus apertissimus etiam prohibebat, ut illa, in quibus ipse existimaret se peccasse, amicis occultaret. Utrumque arguit Epistola, quam, Constantiam profecturus, amico MARTINO reliquit (2). In hac igitur Epistolâ, ad aetatem, quâ scripta est, et ad vigentes de pietate opiniones partim censenda, praeter alia habet: *Timeo etiam, si non emendaveris vitam tuam, cessans a pulchris vestibus et superfluis, quoniam graviter corriperis, sicut et ego miser corripiar, qui usus sum talibus, seductus consuetudine malorum hominum* etc. — — — — *sed rogo propter mi-*

(1) v. s. *p.* 21, *sq.*
(2) v. s. *p.* 37.

misericordiam Jesu Christi, quod in nullâ levitate, quam a me vidisti, me sequaris. Scis, quia, proh dolor! ante sacerdotium meum libenter et saepe schacos lusi, tempus neglexi, et saepe alios et me ad iracundiam per illud ludum infeliciter provocavi. Unde et aliis culpis meis innumerabilibus omissis, ad veniam piissimo Domino tuis me commendo orationibus etc. Postquam porro Constantiam venerat, idem veri studium omni agendi ratione omnibusque sermonibus prodidit. Afferre juvat, quod HUSSUS Imperatori dixit, postquam hic ei declaraverat nihil prohibere, etiamsi omnis erroris expers esset, quominus errores quoscunque haereticos abjuraret. *Imperator*, inquit, *clementissime! aliud significat vocabulum abjurandi, quam tua Majestas hîc visa est* (1). Nec minus hujus loci est, quod, acceptâ a Doctore quodam admonitione, ut Concilio se subjiceret, ei respondit. Nimirum admonitio haec erat: *Quod si Concilium diceret, quod tu habeas unum oculum tantum, quamvis habeas duos, tamen deberes confiteri cum Concilio quod sic est.* At HUSSUS contra: *Etiamsi totus mundus mihi diceret hoc, ego habens rationem, quâ nunc utor, non possem sine repugnantiâ conscientiae hoc dicere.* — Pluribus deinde utrinque prolatis, Doctor ille dicta revocavit, et fassus est: *Verum est, ego non dedi valde bonum exemplum* (2). — Non autem repetemus quae supra adduximus de collocutionibus ab HUSSO cum PALETZIO aliisque habitis (3). Et satis quoque jam disputavimus, quo probaremus, HUSSUM flammis sibi praeparatis facilius se subducturum fuisse, nisi integerrimus veri amor menti ejus et tanquam venis

ac

(1) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 24ª *sq.*

(2) HUSSI *Hist. et Monum. T. I. p.* 68ª.

(3) *v. s. p.* 53.

ac medullis ita fuisset infixus, ut capitis damnari mallet, quam animi sententiâ vel quodammodo dissimulandâ conscientiae refragari.

Itaque praecipuas, quae mihi videbantur, causas attuli, cur HUSSUS ad rogum damnaretur. Quibus plures addi potuisse minime inficior, imo lubens concedo. Allatarum ea ratio erat, ut aliae graviores essent, leviores aliae; aliae apud hos, aliae apud illos eorum, qui in HUSSUM inquirerent, maxime valerent; aliae denique viro eximio condemnando magis aliquam speciem conciliarent, aliae praesertim pro veris condemnationis causis habendae sint. Inprimis in disquisitione ejusmodi tenendum, non uni cuidam causae tribuendum esse eventum, ad quem ut res adduceretur, multae diversi ponderis simul concurrerint. Quod in posteriore Disputationis meae Parte attendere quidem et significare studui, neutiquam vero ita me exposuisse in mentem mihi induco, quin maxime in mutuo causarum, de quibus dixi, nexu indicando, atque in vi declarandâ, quam altera causa in alteram haberet, aliis plurima interius indaganda relinquerem.

THESES.

1.

Pontificum Romanorum dominatio, quamvis Religionis Christianae indoli contraria, tamen medio, quod dicitur, aevo Ecclesiae et Reipublicae multa commoda attulit.

2.

Concilia Oecumenica, parte priore Saeculi XV habita, imminutae jam a BONIFACII VIII aetate auctoritatis Pontificiae indicia sunt.

3.

Imperator SIGISMUNDUS, Concilii Constantiensis arbitrio HUSSUM relinquens, fidem ei datam fregisse nobis videtur.

4.

Auctus Religionis sensus primariis emendatorum Saeculo XVI Sacrorum causis annumerandus est.

5.

Testimonia, quibus Jesus legatum Divinum se professus est, non exiguam rei probandae vim habere censemus.

6.

Jesus, in terra degens, omnis peccati expers fuit.

7.

Attamen ejus ἀναμαρτησίαν non ita accipimus, ut peccare non potuerit.

8.

8.

N. T. Scripta veniam peccatorum e morte Jesu proxime nectunt.

9.

Jesum, de Jo. XIV: 18b. discipulis promittentem: Ἔρχομαι πρὸς ὑμᾶς, eâ promissione reditum oculis non cernendum significasse existimamus.

10.

Doctrina morum Christiana virtutis incitamenta, ab utili petita, non repudiat.

11.

Animi humani immortalitas ex ejus *immaterialitate*, quam appellant, nondum sequitur.

CORRIGENDA.

IN TEXTU.

Pag.			
11	lin. 9	DE BRODA	*lege* BRODA
—	— 18	*Archidiaconus*	— Pragae Archidiaconus
24	— 26	et saepius, Liter.	— Liter.
28	— 8	visitet	— visitat
—	— 9	petat	— petit
31	— 15	Haec	— Haec autem
32	— 1	a	— ab
34	— 6	JESSENITZ	— DE JESSENITZ
39	— 5	uteas	— ut eas
43	— 21	ad rem	— benigne
51	— 5, 6	libenteri is	— libenter iis
52	— 18	(2)	— (3)
64	— 15, 16	sae-Pius	— saepius
65	— 1	alteram in eo positam fuisse	*deleantur.*
90	— 2	viderit	*lege* videri
91	— 18	;	— ,
103	— 13	***ortae***	— ***natae***
121	— 17, 18	confimarunt	— confirmarunt

IN NOTIS.

Pag.				
1	not. 2.	lin. 4	*u. z. w.*	*lege u. s. w.*
8	— 2	— 2	T. VI.	— T. IV.
23	— 3	— 3	cum Scholâ Parisiensi	— cum CAROLO VII., Francogalliae Rege
29	— 3	— 2	p. 101ª sqq.	— p. 108ª sqq.
33	— 2	— 7	not. 3.	— not. 5
62	— 3	— 4	itz	— itzt
80	— 1	— 2	de	— DE
92	— 1	— 2	oppositam	— opposita

Alicubi etiam litera c posita est pro affini e.

Cetera corrigat L. B.